



Commentatio literaria in Juvenalis satiram primam

<https://hdl.handle.net/1874/316386>

COMMENTATIO LITERARIA

IN

JUVENALIS

SATIRAM PRIMAM.

ДЕЯНИЯ

СВЯТЫХ АПОСТОЛ

ПАУЛА И ТИМОФЕЯ

ПОСЛАНИЯ

ДЛЯ РИМЛЯНОВ

ПОСЛАНИЯ

ДЛЯ ГАЛЕАТОВ

ПОСЛАНИЯ

ДЛЯ ФИЛИППОВ

ПОСЛАНИЯ

ДЛЯ КОРИИНТОВ

ПОСЛАНИЯ

ДЛЯ ЕПИФАНИИ

ПОСЛАНИЯ

ДЛЯ КОФИНИИ

ПОСЛАНИЯ

ДЛЯ ФЕРМЕНИИ

ПОСЛАНИЯ

ДЛЯ АФИФИИ

4

COMMENTATIO LITERARIA
IN
JUVENALIS
SATIRAM PRIMAM.

QUAM,
QUOD DEUS BENE VERTAT,
EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

GERARDI JOHANNIS MULDER,

MATH. MAG. PHIL. NAT. ET MED. DOCT. ET. PROF. ORD.

NEC NON

NOBILISSIMAE FACULTATIS PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITERARUM HUMANIORUM
DECRETO,

PRO GRADU DOCTORATUS

SUMMISQUE IN

PHILOSOPHIA THEORETICA ET LITERIS HUMANIORIBUS
HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

IN ACADEMIA RHENO-TRAJECTINA

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

ERUDITORUM EXAMINI SUBMITTET

JOANNES FRANCISCUS HUBERTUS WOLTERS,

MOSAE - TRAJECTINUS.

A. D. II M. JULII, A. MDCCCLIII, HORA II.

Silvae-Ducis.

TYPIS MANDAVIT C. N. TEULINGS.

MDCCCLIII.

CONCILIATION OF TERRITORIES

JOURNAL

OF THE CONFEDERATE STATES OF AMERICA

1863

NUMBER 1000

ISSUED BY THE CONFEDERATE GOVERNMENT

GENERAL JOURNAL OF THE CONFEDERATE STATES OF AMERICA

FOR THE YEAR 1863

1863

THE CONFEDERATE STATES OF AMERICA
GENERAL JOURNAL OF THE CONFEDERATE STATES OF AMERICA

1863

GENERAL JOURNAL OF THE CONFEDERATE STATES OF AMERICA

FOR THE YEAR 1863

1863

GENERAL JOURNAL OF THE CONFEDERATE STATES OF AMERICA

FOR THE YEAR 1863

GENERAL JOURNAL OF THE CONFEDERATE STATES OF AMERICA

FOR THE YEAR 1863

1863

GENERAL JOURNAL OF THE CONFEDERATE STATES OF AMERICA

FOR THE YEAR 1863

1863

GENERAL JOURNAL OF THE CONFEDERATE STATES OF AMERICA

FOR THE YEAR 1863

1863

Praefatio.

*Quum, relicto Athenaeo Mosae-Trajectino, anno
1839 ad altiora Academiae studia me conferrem, litterarum
disciplinae operam navaturus, nequaquam suspicabar, fore
ut quatuordecim demum annis post ad curriculi metam per-
venirem. Quod quum multis mirum videri possit, hujus morae
causas paucis referre liceat.*

*Quod alius interdum idem mihi quoque accidit, ut Litterarum Humaniorum Candidato praeceptoris munus offerretur.
Libens equidem ac grato animo id tum suscepi; verum mox
sensi me, magno cum meo detrimento, optimorum praecepto-
rum institutione destitutum, difficillime ea quae adhuc colenda
et persequenda mihi restabant, perdiscere posse. Variae enim*

muneris occupationes ita me usque districtum tenebant, ut nullum plane vacuum mihi relinquetur et liberum tempus.

Quum aliquanto post anno 1846 in Urbe Venlonae Gymnasii moderamen mihi delatum esset, novae etiam et majores curae atque occupationes mihi natae sunt, tot et tantae illae, ut ne minimum quidem temporis momentum superesset, quod privatis studiis impendere possem.

Anno tandem 1849, ad munus praeceptoris in Gymnasio Silva-Ducensi vocatus, otium illud tam vehementer desideratum et liberum tempus, aliquantulum certe, inveni, ac statim litterarum studia, per aliquod tempus intermissa, repetui in iisque tam indefessa assiduitate elaboravi, ut tandem Doctoratus examini subeundo non imparem me fore confiderem.

Quod quum prospere successisset, unum adhuc opus restabat, ut nempe summos in Philosophia Theoretica et Litteris Humanioribus honores capesserem. Ad quos consequendos, e legis Academicae praescripto hocce doctrinae specimen conscripsi, cui quam multa desint, ipse probe sentio; verum his facile ignoscet, quicunque difficultatum multitudinem noverit, quibus ille premitur, qui scholastico munere fungens, gradus

*praeterea Academicos petere cogatur. Gravis enim solet esse
hujus officii conditio, ut, qui rite eo fungi cupiat, is multis
variisque assidue distineatur occupationibus, quae omnes fere
animi vires et longe maximam diei partem sibi vindicent.
Haec est causa cur mihi non nisi horas subsecivas disser-
tationi conscribendae dare licuit, quae ipsae saepius et mune-
ris laboribus et domesticis curis interpellabantur. Praeterea,
quod omnes norunt, dissertatio literaria non facile elucubra-
tur ab eo, qui ampla bibliotheca et copius literarius, ad auc-
torem quemlibet accurate interpretandum necessariis, destitutus
sit, et palam profiteor me tali operi imparem fuisse futurum,
nisi adfuissent consilia humanissima Literariae Facultatis Pro-
fessorum, Clarissimorum Virorum, eorundemque et benevolentia
animum mihi addidisset et liberalitas suppeditandis librorum
subsidiis laborem meum adjuvisset.*

*Sed cur, dicat quis, scriptorem intellectu difficultem et
obscurum, Juvenalem, interpretandum tibi delegisti, quum tot alii
ad manum sint scriptores multo faciliores? Paucis respondebo.
Quo tempore examen Doctorale subibam, inter quaestiones ab
Ordine Literario mihi propositas, ad quas, ut mos est, scripto*

respondendum esset, haec fuit: "adumbretur historia poësis satiricae apud Romanos inde ab Ennio usque ad Juvenalem": quae quaestio inde nata erat, quod praeter alios scriptores, quibus Doctoratus causa operam navaram, Juvenalis impri- mis studiose a me lectus erat. Haec igitur quaestio ansam mihi dedit principum satiricorum scripta attento animo re- colendi et conferendi. Qua collatione persuasum mihi esse coepit, nostrum poëtam, Juvenalem dico, si non principem, certe principibus proximum esse aestimandum; immo me quidem ita tenuit, ita delectavit, ut Satiras primam et ter- tam commentario instructas dissertationis loco enarrare statuerem.

Itaque alacri animo ad opus me accinxi, et nunc quidem urgente tempore, assentiente et probante Promotore aestuma- tissimo, partem operis emisi, reliquam, nondum satis limatam, in scrinii reservavi. Quatenus interpretandi conatus mihi cesserit, aequo lectori judicandum relinquo; hoc unum adjiciam, meae me mediocritatis concium enixe optare, ut hoc qualecunque specimen benevolos ac faciles judices inveniat. Si tantum hoc exemplo probavero, haud prorsus sine fructu

in antiquis literis colendis me esse versatum, impensae me operae certe non poenitebit.

Restat grave idemque jucundissimum mihi officium ex grato pioque animo profectum, cui ne vix quidem satis facere verbis valeo; at candida eaque debita reverentia erga optimos quorum disciplina frui mihi licuit doctores me adducit, ut sanctissimo hoc officio defungar.

Si quid enim in literarum studiis, quantumcunque sit, profeci, id omne Vestræ institutioni Vestrisque praeceptis saluberrimis accepitum me debere penitus sentio. Vos me ad literas colendas incitastis et in studiis meis dirigendis consilio auxilioque numquam mihi defuistis. Vobis igitur, Viri Clarissimi, GOUDOEVERE et KARSTENE, plurima me ad ingenii animique cultum debere gratis profiteor.

Neque vero Vos silere me decet, VV. CC. VISSCHER et OPZOOMER, quorum alterum Historiam patriæ et literas Belgicas enarrantem maxima cum voluptate nec sine fructu, ut spero, audivi; alter autem, quo tempore in Academia versabar, Philosophiae cathedra nondum ornatus, tamen ignoto mihi humaniter viam monstravit, quam in philosophia theore-ica tractanda ingrederer.

*Pro quibus erga me meritis et Vos et ceteri Doctores, quot-
quot in variis disciplinis duces habui et fautores, accipite grati-
animi significationem! Digna quidem verba, quibus animi
sensum significem, deficiunt; sed prius
Extinguet ortus, referet occasus diem,
quam Vestrorum beneficiorum recordatio Vestrique amor meo
elabetur pectore.*

Scripsi SILVAE-DUCIS, M. Junio, MDCCCLIII.



JUVENALIS

SATIRA PRIMA.

Semper ego auditor tantum? nunquamne reponam,
Vexatus toties rauci Theseide Codri?
Impune ergo mihi cantaverit ille togatas,
Hic elegos? impune diem consumserit ingens
Telephus, aut summi plena iam margine libri 5
Scriptus et in tergo, nec dum finitus, Orestes?
Nota magis nulli domus est sua quam mihi lucus
Martis et Aeoliis vicinum rupibus antrum
Vulcani. Quid agant Venti, quas torqueat umbras
Aeacus, unde alias furtivae devehat aurum 10
Pelliculae, quantas iaculetur Monychus ornos,
Frontonis platani convulsaque marmora clamant
Semper et assiduo ruptae lectore columnae.
Exspectes eadem a summo minimoque poeta.
Et nos ergo manum ferulae subduximus; et nos 15
Consilium dedimus Sullae, privatus ut altum

Dormiret. Stulta est clementia, quum tot ubique
Vatibus occurras, periturae parcere chartae.
Cur tamen hoc potius libeat decurrere campo,
Per quem magnus equos Auruncae flexit alumnus, 20
Si vacat et placidi rationem admittitis, edam.

In primo hoc carmine, quod est tanquam voluminis Satirarum introductio, poëta causas tradit, quibus ad ductus animum ad scribendum appulerit. Festive fingit se taedio audiendi assiduas aliorum recitationes adductum esse, ut ipse etiam poëmata pangat et cantoribus illis pares vices referat. Scilicet se, quamvis unum e minimis ingeniis, tamen vulgaribus illis poëtis haud indoctiorem esse, et aequa ac illos in scholis rhetorum formatum et eruditum; et quum tam multi sint, qui tritas res decantando chartam perdant, nullam esse causam cur ipse ei parcat.

1) *Semper ego auditor tantum?* Ita antiquiores et fere omnes recentiores. Smidtius vero omisit signum interrogationis post *tantum*, et legit continuato ordine:

Semper ego auditor tantum nunquamne rell.

Male meo judicio. Quisque enim sentiat hujus signum omissione sententiam frigidorem et languidorem fieri,

quod vitium omnis satiricus, in primis Juvenalis, ubique fugit; quare longiorem juncturam non amat, praesertim quum, ut in hoc versu, cum indignatione quadam loquatur.

Reponam. Male nonnulli id explicuere rejiciam, hoc sensu: audiendi consuetudinem ut alienam rejiciam? *Reponere* hoc loco significat, iis, quorum crebris recitationibus toties vexatus esset, vices reddere, sive par pari referre. Cum qua significatione quadrat illud Virg. *Aen.*

XII. 878:

— Haec pro virginitate reponit?

ubi *reponit*, ut Heynus observat, doctius quam *repedit* usurpatum est. Hic igitur *reponam* ulciscendi habet notionem: eos, quorum toties auditor fui, ulciscar recitando poëma meum; quod idem sic dicit Horat. *Epist. XIX.* 39:

Non ego nobilium scriptorum auditor et ulti?

2) *Vexatus toties rauci Theseide Codri.* Constructio participii, *reponam vexatus*, est talis, qualem amant Graeci: valet idem atque: *reponam* s. *referam* vexationes quas toties passus sum. *Vexatus* hic fere est quod *fatigatus*; majoris tamen atrocitatis significatum habet, ut ostendunt scriptores, quos laudat Heynus ad Virg. *Eclog. VI.* 76.

Theseide Codri. Scholiastes ad haec verba annotat: "Cordus (sic) hic poëta fuit vitiosus, qui tragediam Thesei scripsit; de quo Virg. (*Aen* VI. 617.) dixit: sedet aeternum-

que sedebit infelix Theseus." Falsa haec interpretatio est, quae et recentiores quosdam interpretes decepit. Non enim tragoediam, sed poëma epicum intelligendum esse Turnebus, *Adversar.* XX, 8, jam vidit. Theseidem Codri inquit, longum poëma de Theseo interpretor multis diebus recitatum, cum instar esset Aeneidis Virgilianaæ. Idem approbarunt recentiores Heinrichius, Weichertus, Smidtius, aliquique. Fuere enim plures, ut Heyn. ad Virgilii l. c. docet, qui olim Theseides condiderunt. Ad eandem fortasse Theseidem spectat infra vs. 53: "Heracleas aut Diomedreas aut *mugitum labyrinthi*? Simile carmen Amazonis memoratur a Mart. *Epigr.* IV, 29, 8:

Saepius in libro memoratur Persius uno,
Quam levis in tota Marsus Amazonide.

Scaliger quidem, assentiente Henminio, credit Theseidem et Amazonidem unum forte idemque opus fuisse et rationem, cur Amazonidis nomen Theseidi potuerit convenire, ex ipsa Thesei historia liquere dicit. Id tamen parum probabile videtur.

Codri. Sic et longe plurimi codices exhibent et a plerisque, ut Rupertio, Weichertio, Heinrichio, Smidtio legitur. Pauci cum schol. malunt *Cordi.* Nomen *Codri* obvium apud Virgilium, *Eclog.* V, 11. et *Eclog.* VII, 22. His locis appellatur pastor invidus, canendi arte valens. Praeterquam in hoc Juvenalis versu, occurrit etiam *Sat.*

III, 203: utroque loco eo nomine significatur poëta obscurus et curtae supellectilis, idemque ambitiosus. Apud Martialem denique *Epigr.* II, 57, III, 15, et alibi Codrus notatur ut homo obscuri nominis et sordidae paupertatis. Quibus inter se collatis, probabile fit Codri nomen non esse habendum proprium veri poëtae nomen, ut Scaliger suspicatus est in *Scaliger.* p. 77, sed potius nomen illud initio per ludibrium importuno et pauperi carminum recitatori tributum, paulatim factum esse θετικόν, et pariter ac nomen Maevii de quolibet malo poëta adhibitum esse. Praferendum hoc lectioni *Cordus*, quia et temerarium foret, incertae lectionis gratia, tot libris manum emendatricem velle adhibere, et *Cordi* nomen sine dubio Romae Cordorum alicui offensae fuisset; quod studiose noster poëta cavet, ne quem aequalium, nisi improbum et ignobilem, nomine proprio infamet, ut e sequentibus quoque appareret. Quis autem poëta eo nomine a Juvenale significetur, nescimus, idque eo difficilius est eruere, quum nec Theseidis ulla commemoration exstet.

3) *Cantaverit.* Ita Heinrichius e codice Hauniensi; vulgo *recitaverit.* Illud placet, quia *cantare* est maxime proprium de iis, qui cum ostentatione vel ad fastidium usque versus suos declamat et quasi cum cantu recitant *Togatas.* Togatae fabulae sunt argumenti latini. To-

gatarum nomen dupli significatione, angustiore et latiore, usurpatum est. Angustiore significatione, quae prioribus temporibus sola exstitit, *togata* non erat diversa a *tabernaria*; latiore comprehendebat *praetextatam*, *trabeatam*, *tabernariam* sive *togatam* proprie dictam. Neukirch. de *Fab. togata Rom. Lips.* 1833. Hoc loco latiore sensu ponitur et universe comoediam Romanam, h. e. argumenti Romani, significat.

5) *Ingens Telephus*, rell. *Telephi* titulo notissima est Euripidis tragœdia, quam e fragmentis dispersis redintegravit quodammodo Vir Clarissimus J. Geelius. Ejusdem argumenti latinas fabulas scripsisse videntur Ennius et Attius. Vid. Ribbeck. *Frägg. Latt. reliquiae* p. 262 et 307. Ruperti putabat Juvenalem, quum *ingentem* dicit Telephum, spectasse Horatium, *Art. Poet.* 95 - 105:

Telephus et Peleus quum pauper et exul uterque
Projicit ampullas et sesquipedalia verba,
Si curat cor spectantis tetigisse querela.
et deinceps:

Si vis me flere dolendum est
Primum ipsi tibi; tum tua me infortunia laudent,
Telephe vel Peleu.

Sed siquid voluit praeter significationem longissimi tra-

goediae ambitus, crediderim, inquit Smidtius, eum potius jocose simul ipsam Telephi proceritatem in mente habuisse. Ex his autem Juvenalis et Horatii versibus apparent, personas illas etiam a tragicis Romanis ejus aetatis frequentatas fuisse.

Summi plena jam margine — *Orestes*. Orestis, tragoeiae satis notae, magnitudo eo designatur, quod non tantum margo sed etiam tergum voluminis, h. e. adversa pars membranae, litteris impletum esset. Veterum libri erant vel *volumina*, *cylindri*, vel *codices* s. libri quadrati. Codices erant e membrana, quac utramque paginam, volumina plerumque e charta, quae unam tantum paginam litteris implere solebat. Tragoedia *Orestes* ea erat longitudo ut et utramque paginam et margines compleret. Notemus autem poëtae exaggerationem in perstringenda tragoeiae prolixitate, cuius gratia pleonasmo *summi plena* utitur. *Summi*, id est extremi, sive extrema parte conscripti. Junctura verborum haec esse videtur: *Orestes* scriptus (in) margine jam plena summi libri et in tergo, neendum finitus; *jam* oppositum est sequenti *necdum*. Adjectivum *plena* etiam intelligendum est ad proximum *tergo* (*pleno*). Planius ita dixisset: *Orestes*, quamquam implens jam marginem et tergum libri, tamen nondum finitus s. absolutus. Nonnulli *plena margine* pro ablativo absol. habuerunt, quo durior fit verborum junctura.

7) *Nota magis nulli est domus sua.* Hoc proverbialiter dictum accipiunt interpretes, simili fere sensu quo dicimus, rem aliquam ut digitos suos nosse. Martialis alio modo idem sic dicit:

Et teneo melius ista, quam meum nomen.

At Heinrichius vult Juvenalem spectasse dictum Ciceronis *Epist.* I, 1, 16, ad Quintum Fratrem: "Quamquam illud existimo, quum jam tibi Asia (in qua provincia Quintus jam tertium annum erat) sicut unicuique sua domus nota esse debeat." Atqui, quid obstat quo minus credamus, etiam a Cicerone id tanquam proverbium possumus esse?

8) *Lucus Martis et Aeoliis vicinum rell.* Diversorum interpretum diversa est hujus loci explicatio. Est autem *lucus Martis* in Colchide, in quo fuit pellis aurea; *rupes Aeoliae* intelligantur de insulis, Vulcaniis dictis; *vicinum antrum Vulcani* de Aetna, Siciliae monte. Nonnulli existimant hoc antro Hieram, unam e septem insulis Aeoliis, intelligi. Verum, quum dicit *vicinum rupibus Aeoliis*, ostendit antrum ipsum inter insulas istas non numerari, sed segregari ab eis, ut vicinum et proximum. Neque accedere possum Smidtii explicationi, putantis illud *vicinum accipendum esse non de antro extra Aeolias insulas collocato*, sed de una aliqua harum insularum. Ceterum omnes illae imagines reperiuntur in C. Valerii Flac-

ci *Argonauticis*; unde jam pridem viri docti, ut Janus Parrhasius laudatus Grangaeo, Heinrichio et Weichertio, putaverunt, Argonautieorum auctorem his versibus a Juvenale indicari. Quod sane probabile est; tamen notatio haec pertinet ad solam materiem quam tractavit, non ad poëticum illius ingenium.

12) *Frontonis platani convulsaque marmora*. Quaeritur, quis Fronto hic intelligatur. Inter Juvenalis aequales memorantur Cornelius Fronto, Julius Fronto, Fronto Catius. Cfr. Majus in Commentar. praevio ad Fronton. Opp. p. 26. Non autem assentior Heinrichio, statuenti non de aequali, sed de aliquo antiquiore haec intelligenda esse. Si, satirico more, Frontonis alicujus vitia et turpitudines perstringeret, Heinrichio concederem; nunc autem laudat viri liberalitatem, qua litteras et artes tuebatur, quod aegre ferre certe nemo poterat. Probabile est eum Frontonem designari, qui ter et cum Trajano Consul fuit, de quo Plin. *Paneg.* c. 60, et Mart. *Epigr.* I. 55:

Vota tua breviter si vis cognoscere Marci,

Clarum militiae Fronto togaeque decus.

Convulsa marmora—columnae. Antiquiores fere omnes marmora explicant parietes marmororum crustis tectos. Seneca ad *Lucil.* “ut parietes advecti trans maria marmoribus fulgeant”. Alii autem, nt nuperrime Smidtius, *marmora et*

columnas intelligunt columnas marmoreas, ut sit hendiadys, figura Juvenali usitatissima. Idque rectum puto. Participium enim *convulsa* melius videtur quadrare, si intelligantur columnae, quam si parietes marmorum crustis intecti; rectius columnae sonitu tremefactae dicuntur quam parietum crustae. E verbis ipsis efficias, de sola portie cum platanone, ut Lubinus ait, sermonem esse.

14) *Exspectes eadem* rell. Argumenta illa tam trita, tam decantata sunt, ut poëtae maximus et minimus, doctus et indoctus, pari modo, nullo discrimine, ea canere possint. Poëta hoc versu transitum facit ad sequentia, ut significet sibi, quamvis uni e minimis ingeniis, eandem veniam esse dandam.

15) *Et nos ergo manum* rell. Ergo recte explicit Heineckius: quae quum ita sint. *manum ferulae subduximus*, Brittanicus explicat *substraximus*. Est sane haec propria et usitata significatio verbi *subducere*. Hic tamen ista explicatione acquiescere non possumus, quum hoc sensu illud *manum ferulae subduximus* non conveniret cum proximo *et nos consilium dedimus Sulla*e, quod, ut interpretes jam docuerunt, spectat ad declamationes exercitationis gratia in rhetorum scholis institui solitas. Hanc ob causam plerique, ut Wernsdorfius, illud *manum ferulae subduximus* interpretantur ita: praebere manum ferulae coacti, illam me-

tuentes saepe subduximus. Explicationem hanc confirmant auctoritate Hieronymi *Apol. Domnion.* ep. LI, p. 400: "et nos didicimus literas, et nos saepe manum ferulae subduximus"; et Macrobi. III, 10.: "et nos manum ferulae aliquando subduximus, et nos cepimus Pontificii juris auditum". Horum tamen alter addendo *saepe*, alter *aliquando*, significationem quodammodo inflexit. Ex his autem effici quidem potest, illos poëtae verba sic intellexisse, non vero demonstrari, hunc revera esse sensum. Evidem non video, si *subducere* significet *subtrahere*, quomodo, salva perspicuitate, *manum ferulae subducere* dici potuerit pro *manum ferulae praebere*, quae sunt sibi prorsus contraria. Potius existimem *subducere* hic idem significare quod *subdere* sive *submittere manum ferulae*, quae significatio, quamvis minus vulgata, tamen non obstat analogiae, secundum quam *subducere*, pro diversa vi *praepos. sub*, significare potest et *retrahere* et *submittere*. Ita legitur ex. gr. apud Livium, "subducere aliquem in concionem". Tali modo haec sententia et cum praecedente et cum sequente optime, ut opinor, cohaereat.

16) *Privatus ut altum rell.* Erat hoc argumentum suasionis, ut nempe Sulla, deposita dictatura, gravissimis solutus curis, altum dormiret, h. e. seculo otio frueretur. Simili sensu etiam Graeci εὐδεῖν, ut Soph. *Oed. R.* 65. Quod Sulla ultiro dictaturam depositus et in otium recessit

Puteolos, multorum admirationem movit, teste Plutarch. in Vit. extr. Quare haec fecunda erat materies, de qua in scholis rhetorum declamarent discipuli.

18) *Periturae chartae.* Breviter et significanter notat fatuum scribendi furorem, quo plerique nil nisi chartam perderent. Cur, inquit, chartae parcerem? si ipse non scriberem, tamen periret: mali enim poëtae scribendis suis nugis eam insumerent.

19) *Cur tamen hoc—campo.* Rationem addit, quare potius satiram quam aliud poëmatis genus scripturus sit. Translatio petita ab Hippodromo, in quo equi et currus aguntur. Pulchre huic accommodatum est quod sequitur: *per quem magnus equos Auruncae flexit alumnus.* Currus et equi saepius figurate et Musis et poëtis tribuuntur. Exempla affert Cl. Karsten, *Parmen. Rell.* vs. 1, p. 51. De Lucilio eo pulchrius haec figura usurpatetur libertatem et spiritum, quo satirae ejus insignes erant. Cf. infra vs. 165, et Quintil. *Inst. Orat. X*, 1, 94.

21) *Placidi.* Grangaeus in MS. non infimae notae invenisse se testatur *placiti* h. e. propositi, idque illi magis placet quam vulgata lectio *placidi*. Perperam; nam *placitum* non simpliciter animi *propositum*, sed *decre- tum*, *δόγμα*, significat, quod h. l. incongruum.

Quum tener uxorem ducat spado, Maevia Tuseum
Figat aprum et nuda teneat vepabula mamma;
Patricios omnes opibus quum provocet unus,
Quo tondente gravis iuveni mihi barba sonabat; 25
Quum pars Niliacae plebis, quum verna Canopi
Crispinus, Tyrias humero revocante lacernas,
Ventilet aestivum digitis sudantibus aurum,
Nec sufferre queat maioris pondera gemmae:
Difficile est satiram non scribere. Nam quis iniquae 30
Tam patiens Urbis, tam ferreus, ut teneat se,
Causidici nova quum veniat lectica Mathonis,
Plena ipso; post hunc magni delator amici,
Et cito rapturus de nobilitate comesa
Quod superest, quem Massa timet, quem munere palpat
Carus et a trepido Thymele summissa Latino; 35
Quum te summoveant qui testamenta merentur
Noctibus, in coelum quos evehit optima summi
Nunc via processus, vetulae vesica beatae?
Unciolam Proculeius habet, sed Gillo deuncem, 40
Partes quisque suas ad mensuram inguinis heres.
Accipiat sane mercedem sanguinis et sic
Palleat, ut nudis pressit qui calcibus anguem,
Aut Lugdunensem rhetor dicturus ad aram!
Quid referam, quanta siccum iecur ardeat ira, 45
Quum populum gregibus comitum premat hic spoliator
Pupilli prostantis? Et hic damnatus inani

Indicio (quid enim salvis infamia nummis?)
Exsul ab octava Marius bibt et fruitur dis
Iratis; at tu vicirix provincia ploras! 50
Haec ego non credam Venusina digna lucerna?
Haec ego non agitem?

Jam rationem reddit, cur Lucilii vestigia secutus ad satiram scribendam animum appulerit; cogunt nempe eum tot tantaque vitia et probra, quae Romae vigent, quorum praecipua, tanquam in transitu, breviter perstringit. Quod moechi nempe uxores ducant et maritorum jus sibi vindicent, teminae nobiles in arenam descendant, viles libertini et mali causidici pravis artibus opes sibi parent et luxu diffluant, delatores nobilissimum quemque divitiis exuant, adulteri fiant haeredes moecharum, pupilli fortunis suis a tutoribus spolientur, repetundarum rei damnatique maximam retineant partem pecuniae per vim ac fraudem exactae, et in exilio laute genio suo indulgeant: haec omnia, inquit, digna sunt quae satira exagitentur.

22) *Quam tener spado rell.* Epitheton aptum et significans: spado enim *tener* dictus, uti *tenera virgo*, *tenera conjux*; hominem igitur muliebriter effeminatum notat.

Perstringit hoc dicto simul libidinem mulierum, quae, quum a Domitiano relata esset lex Julia in adulteros, moechis suis nubebant; inter mocchos autem erant spadones, quod probatur versibus Martialis a Britannico civitatis. Simul etiam poëta ridet legem ipsam, cui jam excoigitata esset fraus. *Spado*, qui generare non valet, vulgo idem creditur qui castratus; discrimen tamen inter utrumque indicat Turneb. *Adversar. XXIX*, 5. De spadonum matrimonio cf. Brissonius *de Verborum signif.* s. v. *spado*.

Maevia. Impudentia mulierum tempore Domitianus in venationem et certamen descendit theatrale. Cfr. Tacit. *Annal. XV*, 32. Sueton. *Ner.* 12. *Maevia*, pro quo non nulli perperam *Naevia*, est, ut Heinrichius opinatur, *Maevia* Galla, L. Munatii Planci (qui ad Actium partes Antonii reliquit) uxor, propter foeditatem nota. Mart. VII, 58. Macrob. *Saturn. II*, 4. Hoc loco pro quacunque muliere impudica, ut supra jam observatum est.

23) *Nuda mamma*. Xiphilinus aliisque ad Amazonum morem id referunt. Potest quidem, ut Amazonum ritus nudandae mammae istam imaginem poëtae in animum suggesserit, non tamen conveniens est, hoc loco id proprie intelligi. Simpliciter accipendum de femina, quae omni pudore misso, venationibus sese tradit: *nuda mamma* habitum procumbentis in feras exprimit.

25) *Quo tondente gravis juveni rell.* Idem versus
redit *Sat.* X, 226. Interpretes intelligunt Cinnamum ton-
sorem, qui divitis mulieris muneribus locupletatus, ad
equestrem censum pervenit, postremo in exilium missus.
Ejus meminit *Mart. Epigr.* VII, 64. Perperam autem
Crispinum innui putabat Dodwel.; ad hunc enim spectant
sequentia. *Sonabat.* Festive dictum, pro quo *Virg.*
Eclog. I. 29: "tondenti barba cadebat". *Gravis*, Britannicus
explicat: molesta et minime grata; Grangaeus: fastidi-
osa, eo quod imberbes magno in pretio erant Romae.
Potius, opinor, *gravem* barbam vocari hirsutam, quae
inter tondendum sonet s. stridorem edat.

26) *Quum pars Niliacae plebis rell.* Vilioribus sane
verbis Crispinus designari non potuit. Apud Aegyptios
natus erat infimo loco: hinc indignatio. Quatuor autem
Crispinos notat Calderinus. Primum, qui eques digni-
tate senatoria, Claudio imperante, praefectus praetorii,
consularibus insignibus donatus, sub Nerone crimine con-
jurationis exactus in Sardiniam, accepto jussae mortis nunti-
o, semet interfecit. Auctor Tacitus. Alterum Neronis
privignum, qui puer adhuc patris imperio submersus est,
ut Tranquillus scribit. Tertium, qui temporibus Otho-
nis cum duobus centurionibus tumultu militari necatus
est. Quartum, qui ex servili conditione Aegyptius Do-
mitiani indulgentia ad equestrem censum pervenit. Ju-

venalis quartum hunc graviter insectatur, imprimis *Sat.* IV, 1, appellans "monstrum nulla virtute a vitiis redemptum". Martialis ei saepe adulatur; nec mirum, propter summam illius apud Domitianum potentiam.

27) *Tyrias humero revocante lacernas.* Nullus, quem viderim, Juvenalis interpres veram verbi *revocare* significationem animadvertisse videtur, quamquam variis modis id explicere. Britannicus verba intelligenda dicit de lacernis rejectis in humeros, quasi nimis ponderosis, et comparat hunc versum Statii, *Sylv.* I:

It tergo demissa chlamys.

Farnabius de nebulone intelligit, mollitie adeo fracto, ut paenulam in humero propter pondus non retineat, sed deorsum vergere patiatur, quo fiat ut humerus ipsam crebro revocet. Possumus, inquit, et hoc de nimia, nimisque ponderosa lacerna intelligere, quod, ut dictum, ornatum nimium reprehendat, id est, dum propter nimium pondus lacernae deorsum ab humero tenderent, superius ad humerum assidue quasi revocarentur. Ita Plaut. *Epid.* III, 3, 55:

Suam qui undantem chlamydem quassando facit.

Weberus sic explicat: incedebat ut equites illius temporis, purpura lacerna indutus, sed ut veri equitis speciem haberet, eorum quoque negligentiam inter eundum dili-

gentem, quum lacernam delapsam mox attraheret, mox attractam humeri motu dejiceret, affectabat. *Revocare* igitur idem significat quod *attrahere*.

Heinrichii interpretatio haec est: ipse movendo brachium et humerum lacernam *revocat*, attrahit, quo significetur lacerna ex humero fluens, quam videtur abrepitura venti vis, nisi revocaret humerus. Haec explicatio convenit non tantum cum Wakefieldii sententia, sed etiam parum distat ab interpretationibus supra allatis, quas tamen Heinrichius ut ineptas rejicit.

His tamen omnibus interpretationibus acquiescere non possum. Verbum *revocare* sane de vestimento dicitur eo sensu, quem indicat Cicero, *de Orat.* II, 21: "Revocantur ea, quae sese nimium profuderunt". Sueton. *Caes.* 45: "deficientem capillum revocare a vertice assueverat". Claudian. *in Rufin.* II, 79: "revocat fulvas in pectore pelles". Huic tamen explicationi minus favet, primum quod *humerus revocare vestem* insolentius quam elegantius dicatur; deinde *revocare* eo sensu significaret lacernam ita retractam ut non diffundatur, sed humeris adstricta haereat; non vero praebetur imaginem undantis et fluitantis penulae, ut interpretes volunt. Verbi *revocare* simplicior, credo, erit haec explicatio, ut *revocare* eodem sensu accipiatur quo *referre*; quae verba interdum promiscue usurpantur. Horat. *Od.* IV, 16, 12: "veteres revocavit artes". Sueton. *Ner.* 31: "revocavit praemia". Tacit. *Annal.* I, 20: "revocare antiquam militiam"; quo

sensu usitatum est verbum *referre*. Quemadmodum autem *referre aliquid usurpatur pro imitando repraesentare*, sive uno verbo *imitari*, ut infra vs. 65, “multum referens de Maeccenate supino”, simili significatu hic accipiatur *revocare*. Sensus itaque erit hic: dum humerus amictu suo refert Tyrias lacernas, i. e. dum humeri purpureo amictu fulgent. Notatur enim his verbis Crispini luxus, conspiciendus in purpureis lacernis, quibus etiam utebantur, qui in theatro sese ostendere cupiebant. Hinc Martialis:

Edictum Domini deique nostri
Dum laudat modo Phasis in theatro,
Phasis purpureis lucet lacernis.

Et paulo infra:

Illas purpureas et arrogantes
Jussit surgere Lectius lacernas.
Praeterea purpureis vestibus Crispinum valde oblectatum fuisse tradit idem Martialis:

Nescit cui dederit Tyriam Crispinus abollam,
Dum mutat cultus induiturque novos.

28) *Ventilet aestivum digitis sudantibus aurum.* Britanicus intelligit de aureo annulo e digito eximendo et in aëra leviter jactando, ut quasi refrigericeret. Similiter Ruperti; merito illi reprehensi ab Heinrichio, qui id perdidiculum dicit. Quid vero dixisset idem Heinrichius de

explicatione Calderini, qui Crispinum tanta mollitie op-
pressum dicit, ut manus inter incedendum ita languentes
pendere sineret, ut quasi non amplius moveri possent?
At melius jam explicuit Lubinus: inter eundum manus
ad latera agitat et vibrat et in aëra jactat, ostentationis
gratia, ut scilicet annuli conspiciantur. Itaque *ventilat*
digitis aurum poëtice est dictum pro: ventilando digitos,
aureos annulos jactat et ostentat. Martial. *Epigr.* V, 43:

Per cujus digitos currit levis annulus omnes.

Aestivum. Antiquiores fere omnes interpretes uno ore
hoc dictum explicant de annulis, quos tempore aestatis
gestabant. Scio equidem, et Turnebus, *Adversar.* XX, 2,
aliique satis aperte declararunt, Romanos eo deliciarum
pervenisse ut duo genera annulorum, hibernos, majoris
ponderis, et aestivos, levioris, haberent. Praeterea ne-
gari nequit, *aestivum* hoc sensu inveriri. Sed an hoc lo-
co de levi annulorum pondere sermo sit, vehementer
dubito. Quomodo enim istam significationem concinere
dicemus cum sequenti versu, ubi annulum tam grandi
gemma in digitis gestare eum dicit, ut vix ferre possit?
Crispinus, ut scimus, e vilissima conditione ad censum
equestrem provectus, vilem sese et contemptum sentiens, ni-
mio ornatu, ut fit, aliorum existimationem sibi parare
studet; oculos igitur hominum in se trahere cupit aureo
annulo magnitudine et pulchritudine gemmae conspicuo;

denique, qui deliciorum mos erat, alio anni tempore alio annulo utebatur. Quapropter accedo sententiae Weberi, qui *aestivum aurum* explicat: annulum aureum gemma grandi exornatum, cuius colores aestati conveniunt. Haec, ni fallor, interpretatio Crispini moribus est plane accommodata. Jactat superbus homo, dum quasi digitos ventilat, annulum aureum et pondere gemmae et coloris pulchritudine insignem. Ceterum Pinzgeri sententiam, qua *aestivum* pro adverbio esse dicit jungendumque *aestivum sudantibus*, recte rejicit Madvig. *Opusc.* p. 56. Quisque enim latine legens adject. *aestivum* et subst. *aurum* conjungenda esse sentiat.

Nam. Saepe transitum facit ad majora et graviora; quo sensu particula hujusmodi ellipsi explicanda est: Quae dixi jam sufficient: nam quid opus est illa commorare, quae omnes detestantur, cett.

32) *Nova lectica* — *Mathonis.* Interpretes illud *nova* variis modis explicant. Heinrichius putat poëtam de industria *novam* lecticam dixisse, quo significet ejus fortasse pretium nondum solutum fuisse. Quaesitum hoc videatur. Potius, credo, satiricus *nova lectica* prodeuntem facit causidicum, ut qui antea pedibus incedere solitus, ostentationis gratia nunc *primum lectica* utatur. Hinc etiam, ad augendam hominis superbientis imaginem, dicitur *plena ipso*, quo breviter significat dominum inflatum,

tumentem ob pompam, qua nunc primum conspiciendus sit.

Mathonis. “Advocati, qui sceleribus dives factus est.”

Schol. Idem referunt interpres, quod unde habeant, neque ipsi dicunt, neque ego reperire potui. Nam ubique et infra *Sat.* VII, 129, sqq., Matho appellatur pauper causidicus, quem poëta aequa ac alias majore strepitu et specie majoris census vivere dicit. Eum autem valde vanum fuisse colligas e *Martial.* *Epigr.* IV, 81:

Declamas in febre Mathon: hanc esse phrenesin
Si nescis, non es sanus, amice Mathon.

Hoc loco est nomen θετικόν. Fuit *Matho* inter causidicos, qualis *Codrus* (vs. 2) inter poëtas, curtae supellectilis, invidus, ambitious, ventosus.

33) *Magni delator amici.* Heliodorum stoicum, qui Licinium Silanum, discipulum suum, delatione oppressit, significari dicit vetus Schol. Alii Egnatium Celerem, qui Baream accusavit; alii alium. Britannicus Marcum Regulum intelligit, omnium bipedum nequissimum, qui multorum nobilium sub Domitiano caedes molitus fuerat. Verius autem, puto, Heinrichius existimat poëtam non certum aliquem hominem notare, sed universum delatorum genus perstringere.

34) *De nobilitate comesa*, h. c., quod superest de comesis nobilitatis bonis; breviloquentia antiquis usitatissima. Delatores autem parte bonorum donabantur.

35) *A trepido Thymele sumissa Latino.* Magnam hic locus dubitationem movit viris doctis, in quo explicando multum inter se dissentunt. Proponit Juvenalis imaginem saevissimi delatoris, quem etiam ceteri delatores timeant. Duplici modo explicant. Antiquorum Britannicus, recentiorum Ruperti, Achaintre, Madvig arbitrantur, revera Latinum Thymèles maritum, uxorem suam delatori illi submisso, ut furtivo amore illum placaret. In hac interpretatione ad nomen Thymèles assumendum est *palpat*, ut sensus sit: Carus eum palpat muneribus, Latinus eum palpat Thymele submissa. Jam Turnebus, *Adversar. XX, 8*, hanc explicationem parum probabilem habuit, forsitan quia verborum contextus id non aperte dicit, tum etiam quia, quod Madvigius fatetur, non perspici potest, qualis fuerit conjunctio hominum illorum, Cari et Latini, quare hic Thymelen submitteret. Turnebus igitur l. l. Thymelen et Latinum comparationis causa inductos credidit, ut simile petitum esset a mimo tum noto, in quo Latinus et Thymele partes agant, unde hic esset sensus: Carum similiter delatorem istum palpare, quemadmodum in mimo illo Thymele a Latino adultero submissa maritum suum palparet. Merito hanc interpretationem probat Heinrichius, ideoque, quod necessario faciendum, *et in ut mutat*. Illius mimi argumentum dedit Heinrichius ex Turnebus, qui haec habet: "Latinus mimus erat et Thymele mima, quae cum Latino saepe gestum agebat. Mimi igitur

tur argumentum egit cum ea Latinus, in quo ut in aliena uxore moechus, paene deprehendebatur vel marito de adulterio aliquorum delatione suspectus erat; sed dolosam et astutam moecham ad maritum allegavit, quae ei os subliniret et periculo Latinum et crimine eximeret. Id igitur facete Juvenalis ad extremum jacit ex argumento notissimi illa tempestate mimi: quemadmodum Latinus deprecatrice moecha est usus, sic pro se quosdam ad delatorem placandum deprecatores mittere. Tale est illud *Sat. VI*, 44: "Quem toties texit perituri cista Latini", nam in quodam mimo Latinus adulterum egerat, in cista conditum, subito mariti adventu, ne deprehenderetur et interficeretur". Praeterea Juvenalem, ut fere ubique, non unum alterumve delatorem perstringere voluisse credo, sed in universum totum id genus hominum. De Latino mimo sive, ut scholion ad *Sat. IV*, 53, archimimo, Domitiano gratissimo, cf. *Sat. VI*, 44; Sueton. *Domit.* 15; Martial. *Epigr. I*, 5; *IX*, 29. De Thymele, mima et optima saltatrice, *Sat. VI*, 66; *VIII*, 197.

36) *Quum te summoveant.* In hoc verbo, quod proprium erat lictorum, superbiae et insolentiae significatio inest. Minus recte Grangaeus, Britannicus, Ruperti, aliique improprie id dictum acceperunt pro: te justa haereditate exuant. Significat: via te sibi decedere cogant.

37) *In coelum quos evehit.* Solita locutio Latinis. Horat.

Epist. I, 10, 9, "Quae vos ad coelum effertis"; et *Carm.* I, 1, 6, "terrarum dominos evehit ad Deos", h. e. ad summam felicitatem, ad regium honorem extollit.

42) *Accipiat sane mercedem rell.* Intelligitur Gillo, qui deuncem accepit, tanquam mercedem sanguinis et sudoris, quem impendit in gratiam vetulae. Est acerba concessio cum exsecratione juncta; alterum enim *accipiat mercedem* est concedentis, alterum *palleat ut* est exsecrantis; utrumque satirice copulatur. Similiter ex. gr. *Sat.* XII, in fin.:

Vivat Pacuvius, quaeso, vel Nestora totum;
Possideat quantum rapuit Nero; montibus aurum
Exaequet; nec amet quemquam, nec ametur ab ullo!

Etiam in proximis vss. amare aequa facete duae dissimiles junguntur imagines:

Palleat, ut nudis pressit qui calcibus anguem,
Aut Lugdunensem rhetor dicturus ad aram!

Prior harum imaginum significat veram formidinem; altera ostendit ridiculam anxietatem hominis, nimia ambitione ducti; quo simul, velut transeundo, rhetorum certantium contentio festive carpitur.

44) *Lugdunensem ad aram.* Lugduni, in Gallia Cel-

tica ad confluentem Araris et Rhodani, aram Augusto consecratam fuisse, omnibus notum. Liv. *Epit.* 137. Dio Cass. LIV, 32. Caligula ibi edidit miscellos ludos (Dio Cass. LIX, 22), sed et certamen Graecae Latinaeque facundiae, quo certamine ferunt in victores praemia contulisse victos et eorum laudes canere coactos; eos, qui maxime displicuerint, scripta sua spongia linguave delere jussos, nisi ferulis objurgari aut flumine proximo mergi malent. Qui ergo in hoc certamen descendebant, incertae eventum rei pallebant. An Heinrichius recte credat illud certamen semel tantum factum esse, valde dubito; contra verbum *dicturus* videtur indicare rem non semel factam, sed usitatam.

46) *Comitum*, h. e. clientium vel servorum. Comitem dicimus eum qui sequitur et comitatur, sive liber, sive servus, sive masculus, sive femina. Ulpian. et La-beo, Britannico citati.

47) *Spoliator pupilli prostantis*. Notetur Juvenalis brevi-loquentia: tutor, qui pupillum omnibus exuit bonis, quo hic cogatur prostare et corpore quaestum facere. Omnes autem, excepta editione O. Jahnii, habent signum interrogandi post *prostantis*; in lectione paululum modo variant. Henninius, Weberus aliique legunt ut Heinrichius, cuius lectionem supra descripsi; Britanicus vult,

at hic damnatus, quo verborum sensus non mutatur. Verba autem, et hic damnatus, copulant cum proximis, exsul ab octava Marius bibit. Dubito vero, an tali modo verba copulare liceat, siquidem alterum illud, hic damnatus inani judicio, praecedenti, hic spoliator pupilli, manifeste oppositum est, oppositio autem haec corrumpitur jungendo: hic damnatus—Marius. O. Jahnius sic edidit:

*cum populum gregibus comitum premit hic spoliator
pupilli prostantis, et hic damnatus inani
judicio (quid enim salvis infamia nummis?)
exul ab octava Marius bibit et fruitur Dis
iratis, at tu victrix provincia ploras?*

Qua interpunctione in verborum junctura nihil mutatur. Rectius, me judice, quam hi omnes legit Juvenalis editio, quae sine nomine auctoris prodiit Antverpiae, ex officina Plantini, A° 1565:

*Quid referam, quanta siccum jecur ardeat ira,
Cum populum gregibus comitum premat hic spoliator
Pupilli prostantis, at hic damnatus inani
Judicio? Quid enim salvis infamia nummis?
Exul ab octava Marius bibit et fruitur Dis
Iratis, at tu victrix provincia ploras.*

Equidem verba sic interpungenda arbitror:

*Quum populum gregibus comitum premat hic spoliator
Pupilli prostantis, et hic damnatus inani*

Judicio? quid enim salvis infamia nummis?

Exul ab octava Marius bibit et fruitur Dis
Iratis; at tu victrix provincia ploras!

Duo nempe profert exempla hominum, qui turpibus rapinis locupletati impune se jactabant: alterum pupilli spoliatorem, alterum infamiae damnatum, nimirum ob rapinas vel alia scelera. Addit *inani judicio*, quum infamia nihil damni afferat, dummodo nummi salvi sint. His duobus tertium et insignius etiam exemplum addit: Marium exilio mulctatum, opibus suis luxuriose fruentem. Tali lectione verba optime cohaerent et omnia clara sunt.

49) *Fruitur Dis iratis*. Cf. Senec. *Herc. fur.* I, 34, “Iraque nostra fruitur”. Verbum juris est, inquit Gronovius; *frui re* est fructum commoditatesque ex re aliqua percipere, in fructu habere. Itaque *fruitur Dis iratis* explicat: condemnationem et exilium in luero ponit; caret enim negotiis et sollicitudinibus urbanorum. Melius vimationis sensit Lubinus, qui acute animadvertisit, satiricum saepe uno enuntiato contraria jungere, ut in hoc *fruitur Dis iratis*, h. e. dum Dii irati sunt, ipse felix est.

51) *Venusina lucerna*, h. e. satira, qualem poëta Venusinus, Horatius, elucubravit, vigilans ad lucernam; notum enim oratores et poëtas solitos esse ad lucernam

opera componere; unde proverbium: *olet lucernam*. Cf. Erasmi aliorumque Adagia et Proverbia, ex edit. Zubrodpii, p. 200. Altera explicatio, *lucernam* appellari, ut quae hominum vitia urat, probari nequit; lucerna enim luceat, non urit.

Sed quid magis Heracleas

Aut Diomedea aut mugitum Labyrinthei
Et mare percussum puero fabrumque volantem,
Quum leno accipiat moechi bona, si capienda 55
Ius nullum uxori, doctus spectare lacunar,
Doctus et ad calicem vigilanti stertere naso;
Quum fas esse putet curam spectare cohortis,
Qui bona donavit praesepibus et caret omni
Maiorum censu, dum pervolat axe citato 60
Flaminiam puer: Automedon nam lora tenebat,
Ipse lacernatae quum se iactaret amicae.
Nonne libet medio ceras implere capaces
Quadrivio, quum iam sexta cervice feratur
Hinc atque inde patens ac nuda paene cathedra, 65
Et multum referens de Maeenate supino
Signator falso, qui se lautum atque beatum
Exiguis tabulis et gemma fecerat uda;
Occurrit matrona potens, quae molle Calenum
Porrectura viro miscet sitiente rubetam, 70

Instituitque rudes melior Locusta propinquas
Per famam et populum nigros efferre maritos?
Aude aliquid brevibus Gyaris et carcere dignum,
Si vis esse aliquis! Probitas laudatur et alget.
Criminibus debent hortos, praetoria, mensas, 75
Argentum vetus et stantem extra pocula caprum.
Quem patitur dormire nurus corruptor avarae,
Quem sponsae turpes et praetextatus adulter?
Si natura negat, facit indignatio versum,
Qualemque potest: quales ego vel Cluvienus. 80

Institutam vitiorum enumerationem persequitur. Homines pessimae conditionis, qui bona equis alendis dilapidarunt, praetorianis cohortibus praeficiuntur; falsi testamentorum signatores haereditates capiunt; ab uxoribus mariti veneno interimuntur; nequissimus quisque dignitate et opibus abundat; nurus a saceris vitiantur et corrumpuntur: tot denique et tanta vitia Romae vigent, ut quisque, etiamsi non sit poëta, satiras scribere queat, ex indignatione omnium istorum flagitiorum.

52) *Sed quid magis.* Supplent interpretes *scribam* vel *tractem*, et *magis* accipiunt pro *potius*. Ellipsis illa

admodum est dura, cuius simile exemplum e probati scriptoris testimonio afferre valde fuerit difficile. *Magis etiam pro potius dubito au recte dicatur.* Quare nescio, an verbum hoc librarii errore corruptum sit et ita emendandum: “sed quid *gemas* Heracleas”? *Gemere pro cantare*, praesertim de rebus gravibus, obvium etiam *Sat.* VII, 71: “Surda nihil gemeret grave buccina”, i. e. gravi vel rauca voce caneret. Aliis etiam locis de argumentis tristibus et gravibus eodem sensu *gemere* usurpari solet. Particula *sed* hanc vim habet: at si haec non digna censeas quae carmine tractentur, quid tanti facis fictas fabulas, Heracleas, Diomedeads, ut eas decantes? Simili sensu *Sat.* VII, 32: “sed defluit aetas”. X, 184: “sed qualis rediit”.

54) *Et mare percussum puero rell.* Comice designat de Icaro et Daedalo fabulam. *Mugitum Labyrinthei et mare percussum puero Britannicus* refert ad Theseidem, de qua supra ad vs. 2.

55) *Quum leno accipiat — si capiendi jus rell.* *Lenonem* hic appellari *maritum*, qui lucri cupiditate ductus uxorem alteri permittit, appareat ex opposito *uxori*. Sensus ergo est: quum turpis maritus ob permissum uxoris adulterium haeres fiat bonorum adulteri, quae uxoris suae vice accipit, siquidem *capiendi jus nullum uxori*, h. e.

quandoquidem mulier ipsa haeres esse nequit. Ad haec verba scholion: "Si uxor ejus jure impediatur adultero succedere, ipse maritus leno succedit adultero haeres, ut per fideicommissum res adulteri ad adulteram veniant". Grangaeus autem et Britannicus aliquique haec spectare putant ad Legem Domitianum de probrosis feminis. Suet. *Dom.* 8. Recte et merito utrumque improbatum est ab Heinrichio: nam fideicommisso locus hic esse non poterat; Domitianus autem illa lex in probrosas feminas non spectabat ad adulteria clandestina. Heinrichius docet spectare haec ad Legem Papiam Poppaeam, de qua Heinecc. *Antiq. Rom.* Ex qua lege mulieribus licuit *bona capere*, h. e. haeredes fieri ex asse, si ipsis esset jus liberorum, h. e. si plures liberos haberent, patri autem, etiam solitario, h. e. si unum filium haberet. Uxor, de qua hoc loco agitur, non habet jus liberorum, igitur non habet jus *capiendi bona*. Maritus, qui ne solitarius quidem est, uxorem cum adultero consuescere patitur, ut, filio nato, haeres ex asse fiat. Illustrantur haec *Sat.* IX, 86, ubi mulier sic alloquitur maritum:

Jam pater es: dedimus, quod famae opponere possis;
Jura parentis habes, propter me scriberis haeres,
Legatum omne capis, nec non et dulce caducum.

Simile probrum jam Lucilius et Horatius castigarunt.

57) *Doctus et ad calicem vigilanti stertere naso.* Talem maritum etiam memorat Horat. *Od. III*, 6, 25, ubi incesta conjux pingitur:

Mox juniores quaerit adulteros
Inter mariti vina; neque eligit,
Cui donet impermissa raptim
Gaudia, luminibus remotis;
Sed jussa coram non sine conscientia
Surgit marito.

Vigilanti stertere naso dicitur, qui rem acute videt, sed quasi dormitans ita se accommodat, ut qui nihil videt.

58) *Curam spectare cohortis.* Weberus cum omnibus fere antiquioribus sperare; recentiores *spectare*, quae lectio mihi, ut exquisitor et aptior, praferenda videtur. *Spectare* enim appetendi significationem habet, idem est quod exspectare, Gracis βλέπειν, ὑρᾶν. Probabile est verbum *sperare*, tanquam interpretamentum, in illius locum irrepsisse. Intelligitur praefectura cohortis praetorianae, ut *Sat. X*, 94; alii de tribuno dictum accipiunt, cuius stipendum illo tempore satis lautum fuisse patet ex *Sat. III*, 132, et *Plin. Hist. Nat. XXXIV*, 3.

59) *Qui bona donavit praesepibus.* Perperam nonnulli hoc intellexerunt de stupro et *praesepia* exposuerunt lupanaria et pellices. Accipiendum de insano equi-

tandi et aurigandi studio. Eodem sensu Aristoph. *Nub.* 12: τὴν φυγὴν εὐ ταῖς φάτναις εἴχεν. Plutarch. T. II, p. 370. Wytt. *Bona donavit*, h. e. bona insumpsit equis alendis. Est dictio Horatiana, *Serm.* I, 2, 56: "Qui patrium mimae donat fundumque laremque".

60) *Dum pervolat axe citato rell.* In his versibus aliquid turbatum esse prava interpunctione, neminem locum attentius considerantem latere potest. Verba varie ab interpretibus distinguuntur. Henninius ita:

Cum fas esse putet curam sperare cohortis,
Qui bona donavit praesepibus, et caret omni
Majorum censu, dum pervolat axe citato
Flaminiam: puer Automedon nam lora tenebat,
Ipse lacernatae cum se jactaret amicae.

Weberus:

Quum fas esse putet curam sperare cohortis,
Qui bona donavit praesepibus et caret omni
Majorum censu, dum pervolat axe citato
Flaminiam puer Automedon: nam lora tenebat,
Ipse lacernatae quum se jactaret amicae.

Rupertius:

Quum fas esse putet curam sperare cohortis,
Qui bona donavit praesepibus, et caret omni
Majorum censu, dum pervolat axe citato
Flaminiam: (puer Automedon nam lora tenebat,
Ipse lacernatae cum se jactaret amicae).

O. Jahnus:

cum fas esse putet curam sperare cohortis,
qui bona donavit praesepibus et caret omni
majorum censu, dum pervolat axe citato
Flaminiam, puer Automedon nam lora tenebat
ipse, lacernatae cum se jactaret amicae?

Nulla harum lectionum mihi probanda videtur. Ratio
carum haec est: antiquiores nempe interpretes jam inde
a Scholiasta, rem istam spectare putarunt ad Corn.
Fusci et Neronis facinora, et ita enarrant, ut notari
hominem dicant, qui, consumtis, dum Neroni aurigandi
officium praestet, bonis, audeat praefecturam cohortis
sperare. Ad hunc igitur referunt verba:

Quum fas esse putet curam spectare cohortis

Qui bona donavit praesepibus, cett.

Verba autem *ipse lacernatae* intelligi volunt de Nerone,
qui obseceno amore prosecutus est Sporum, quem signifi-
cari volunt nomine *amicae lacernatae*. Hanc vero per-
sonarum distinctionem non apte congruere ipsis verbis
jam declaravit Madvig. *Opusc. I*, 34, seqq. Juvenalis enim
in tota hac satira ea probra tangit quorum exempla ipse
adspexerat, eaque aut universe notat aut hominem ali-
quem, qui pro exemplo totius generis esse possit, arri-
pit. Et talium vitiorum exempla certe tempore ipsius
non deerant. Itaque si maxime concedamus ex Neronis

temporibus hanc imaginem esse ductam, non sequitur ipsum Neronem hoc loco notari. Nusquam enim, ut Madvigiā l. l. animadvertisit, traditum est, Neronem nobilibus aurigis usum; contrario, ipse in circō aurigavit, ipse equorum agitator fuit, ut revera tota ista explicatio a Neronis studio aliena sit. Tum jactasse se dicitur amicae; sed quid est *jactare se alicui?* Sine dubio se suasque artes ostentare, non vero amatoria delicias agere, vel se ipsum alicui dare, ingerere, insinuare, ut vult Britannicus. Jam sublata Neronis persona, simul omnes illae conjecturae de certo homine intelligendo sublatae sunt. Ut brevi complectar: idem intelligendus est ille, qui bona aurigando dilapidavit et qui per viam Flaminiam curru volat, dum se jactat amicae, et qui Cohortis praefecturam exspectat; distinctio autem aurigae et domini non admittenda videtur. Neque vero factum hoc spectat ad hunc illumve Caesarem vel Caesarum adulatorem, sed universe ad luxuriosos et dissolutos mores juventutis, quae, postquam equis et scortis patrimonium amisisset, magistratus et imperia spectare audebat, quibus rem familiarem restitueret. Talis igitur juvenis hic pingitur. Itaque versus, me judice, sic legendi:

Qum fas esse putet curam spectare cohortis,
Qui bona donavit praesepibus et caret omni
Majorum censu, dum pervolat axe citato
Flaminiam puer Automedon—nam lora tenebat
Ipse—lacernatae quum se jactaret amicac.

Puer Automedon est ipse ille, qui bona donavit praesepibus; nominatur ita propter aurigandi studium et peritiam, quo sensu Automedon, Achillis auriga, ex Iliade II, 145, cett. notus, quasi in proverbium abiit. Similiter Ovidius, de *Art.* I:

Typhis, et Automedon dicar amoris ego;
et Ausonius:

Jam vates, et non flagifer Automedon.

Explicationis autem gratia addidit *nam lora tenebat ipse*, quo significat illum proprie et vero significatu Automedontem vocari, ut qui ipse aurigam se gereret. Verba *lacernatae* quum se jactaret amicae copulanda cum praecedente *pervolat axe citato Flaminiam*; ejusmodi temporum permutatio, *pervolat—jactaret*, minime est insolita, hoc loco plane conveniens, quum etiam praesens *pervolat* de praeterita actione dicatur. Sensus ergo est: viam Flaminiam curru pervolat, ipse aurigam agens, ut se jactet amicae lacernatae, suamque dexteritatem illi ostendat. *Amicam autem lacernatam* non est ut intelligamus de cinaedo sive semiviro, sed potius de muliere mascula, de femina bracata, qualis illa, quae supra pingitur Maevia. Tali interpretatione difficultates, quae alioquin hunc locum premunt, prorsus sublatae esse mihi videntur. Multa ab hoc aliena admiscet Heinrichius, quibus poetae verba obscurantur potius quam declarantur.

63) *Capaces.* Explicant *amplas*, quae multa capiunt. At magnos sive amplos codices secum per vias portare admodum, ni fallor, molestum. Aptior explicatio sit: commodas ad excipiendum quidquid inscribere velis; intelligit nempe pugillares.

Medio quadrivio. Recte Heinrichius explicat: statim, sine mora, illico, ita ut non exspectes dum domum reversus sis.

66) *Multum referens de Maecenate.* Tropice dictum pro: similitudinem cum Maecenate ostendens. Tacit. *Germ.* 43, eodem sensu: "Burii Suevos referunt". Plin. *Epist.* V, 16: "amisit filiam, quac non minus mores ejus, quam os vultumque referebat". *De Maecenate* est pro *Maecenatis*, constructio Juvenali valde usitata. Sic supra vs. 34: "rapturus de nobilitate quod superest"; et infra 137: "nam de tot latis et pulchris orbibus".

67) *Signator falso, qui se lautum rell.* Haec verba plurimum molestiae fecerunt interpretibus, qui ea varie explicuerunt. Perplures cum Heinrichio ponunt comma post *falso*; alii post *signator*, ut *falso* jungatur cum proximis *qui se lautum—fecerat*, quam lectionem defendit etiam Häckermannus, in Seebodii *Annalibus*, T. XVI, pag. 419. Heinrichius *signator falso* explicat supplendo *signo*, quam constructionem similem esse dicit huic apud Cic. *Legg.* I,

24: "agnatio nobis cum cœlestibus"; 42: "obtemperatio scriptis legibus". Gell. XVI, 19: "cantator fidibus". Häckermann. hoc non concedit. Nam, inquit, "obtemperatio legibus", "cantator fidibus", dici potest, quia dicitur "obtemperare legibus", "canere fidibus". *Signator* autem *falso* ab hoc diversum est. *Signare falso*, nempe *signo*, non est recta verborum junctura. ViciSSim vero contra Häckermann rationem, jungentis *signator*, *falso qui se* cett, animadvertisendum, *signator* ita nude positum, minus accurate personam falsarii significare, *falso* autem sequentibus languide additum esse, et propter adjecta *exiguus tabulis et gemma uda* nullam fere vim habere. Plane autem rejicienda Weberi sententia, qui voluit *signator falso* dici pro *in falso*; quae enim Cic. *Fat.* 19, habet: "quasi signabit in animo speciem", et Ovid. *Rem.* 417: "aliquid animo signare", tropice dicta sunt et hoc referri nequeunt. Quare uti liceat verbis Madvigii: "vellem (Weberus) posuisset locum, ubi reperisset dictum *signator in falso*, *in tabulis*, *in testamento* similiave, vel certe, ubi *signare in tabulis*, *in testamento*". Itaque omnium harum explicationum optima videtur Heinrichii illa, qua *signator falso* explicetur *falso signo*. Quid enim vetat dicere *rem signo s. sigillo signare?* Quod Nobbius objicit dicens: "qualis sit signator, poëta ipse, ut dixi, verbis continuo subjectis quasi per transennam significat: supervacaneum est igitur et ne aptum quidem, eum jam in antecessum aperte

nominare falsarium": id, credo, non magni est momenti. Nam *signator falso* nihil est nisi periphrasis v. *falsarius*, qui ipse a poëta significatur; subjecta vero verba *exquis tabulis et gemma uda* ironice significant *facilem operam*, qua dives factus erat. Una tamen mihi nata est suspicio, quam doctiores judicent, an *falso* possit haberi pronominativo *falso*, — *onis*, h. e. *falsarius* s. *falsator*, a *falsare*; similis generis vocabula, partim etiam ἄπαξ λεγόμενα, sunt *cachinno*, *gluto*, *palpo* apud Persium; *lurco*, *comedo*, *combibo*, *mando*, *catillo*, laud. O Jahn. ad Pers. *Sat. I*, 12, p. 81. Adde *dolo*, *erro*. Tali ratione nulla foret obscuritas.

Ceterum nonnulli interpretes, inter quos Weberus, opinantur poëtam tecte invehi in M. Regulum causidicum, de quo Plin. *Epist. II*, 20. Quaeras tamen, cur potius intelligatur Regulus, quam quivis alias e magna copia falsariorum, qui illis temporibus Romae erant?

69) *Occurrit matrona potens.* Etiam hic certam beneficam intelligi nonnulli voluerunt, quae poëtae aetate beneficia misceret; alii autem Agrippinam Claudii uxorem, quae maritum medicato sustulit boleto post adoptionem Neronis. Perperam utique: invehitur universe in beneficia matronarum, quae illo tempore frequentata fuisse scribit *Sat. VI*, 655 seqq.

71) *Locusta.* Nomen proprium ab appellativo for-

matum, in prima syllaba mutavit quantitatem. Idem videmus ex. gr. in vocabulo *Polypus*, prima producta apud Horatium, *Serm. I*, 3, 37. In nominibus propriis praesertim major est hac in parte libertas. Vid. Erfurdt. ad Sophocl. *Ajac.* vs. 210. Nonnulli, ut O. Jahn, legunt *Lucusta*.

72) *Per famam et populum nigros &c.* Hendiadys pro: inter populi rumores et famam ob ortam beneficij suspicionem. *Nigros* Meursius de *Fun.* I refert ad efferendi ritum in toga nigra, ut contra Graeci in albis vestibus efferri soliti. Rectius autem Lubinus *nigros* explicat veneno luridos, lividos, ob lurida veneni vestigia quae in cadaveribus apparent.

74) *Si vis esse aliquis.* Variat lectio. Tam antiquorum quam recentiorum alii *aliquis*, alii *aliquid*. *Aliquis* et *aliquid* utrumque grammatica ratione defendi potest, cuius rei exempla habet Häckermann. ad hunc locum. Praeferam *aliquid*, nam iteratum illud vocabulum habet aliquid venustatis et acuminis: aude *aliquid*— si vis esse *aliquid*. Sensus est: si Romae in aliquo vis esse pretio, aude *aliquid* carcere et exilio dignum: unde Plin. Jun. ad hanc sententiam: “In ea civitate, in qua jam pridem non minora praemia, immo majora nequitia et improbitas quam pudor et virtus habent”.

Probitas alget. *Alget* explicatur ab aliis: negligitur, non expetitur; ab aliis: fame urgetur, eget, nec meritis afficitur praemiis. Hoc rectius, quamquam explicatio pallidam tantum imaginem reddit significationis hujus verbi; *algere* enim est frigore horrere et dicitur de eo, qui sine veste aut stragulo noctes et hiemes perdurare cogitur. Sic infra vs. 93: “*horrenti tunicam non reddere servo*”.

75) *Criminibus debent hortos.* Duplici modo haec exponi possunt; vel sic ut *criminibus* accipiatur pro *homini bus scelestis*, quo sensus hic foret: Romani hortos, praetoria, cett. debere videntur, h. e. tribuunt improbis et sceleratis; vel *criminibus* proprio significatu accepto, ita: Divites ea quae possident, hortos, praetoria, mensas, opus argenteum, ea omnia criminibus suis debent, h. e. per fraudes et scelera sunt assecuti. Posterior explicatio, quae jam Grangaeo et Britannico placuit, ut magis propria et aperta, sane probanda est.

78) *Sponsae turpes et practextatus adulter.* *Sponsas turpes* facile quis opinetur intelligendum esse eodem sensu, quo *Sat. II*, 119, seqq:
Ingens
cœna sedet; gremio jacuit nova nupta mariti,
nempe viros nubentes. Merito tamen Madvig. *Opusc.*

XVI, p. 40, hanc explicationem videtur reprehendere.

“Sponsas turpes, inquit, perperam viros nubentes intel-
ligunt, quod genus foeditatis in satira secunda exagitat,
quasi iis verbis, quae hic posita sunt, aliud significetur,
quam sponsae non castae nec libidinis saltem ante nup-
tias expertes, aut quasi quidquam huic loco aptius sit,
quam hujus libidinis notatio, quum in altera parte sit
adolescentulus jam in praetexta adulter”.

Praetextatus adulter, adolescentulus jam in praetexta adulter, i. e. ea aetate quae maxime a turpitudine ab-
horrere debet, sive ut Horatianis verbis utar, *Carm. III*,
6, 24:

Jam nunc et incestos amores

De tenero meditatur ungui.

80) *Cluvienus*. Omnia satirorum mos est aliquem,
ut h. l. Cluvienum, in medio discursu obliquo morsu tan-
gere. Inest autem in hoc dicto lepida ironia, qua merita
sua extenuat, ut liberius et acerbius Cluvienum tanquam
malum poëtam notet. Etsi Cluvieni non alibi fit men-
tio, non ideo tamen nomen, ut Heirichius putat, pro
ficto habendum arbitror.

Ex quo Deucalion, nimbis tollentibus aequor,
Navigio montem ascendit sortesque poposeit,
Paullatimque anima caluerunt mollia saxa,
Et maribus nudas ostendit Pyrrha puellas,
Quidquid agunt homines, votum, timor, ira, voluptas, 85
Gaudia, discursus, nostri est farrago libelli.
Et quando uberior vitiorum copia? quando
Maior avaritiae patuit sinus? alea quando
Hos animos? Neque enim loculis comitantibus itur
Ad casum tabulae, posita sed luditur area. 90
Proelia quanta illic dispensatore videbis
Armigero! Simplexne furor sestertia centum
Perdere et horrenti tunicam non reddere servo?
Quis totidem erexit villas, quis fercula septem
Secreto coenavit avus? Nunc sportula primo 95
Limine parva sedet, turbae rapienda togatae.
Ille tamen faciem prius inspicit et trepidat, ne
Suppositus venias ac falso nomine poscas.
Agnitus accipies; iubet a praecone vocari
Ipsos Troiugenas; nam vexant limen et ipsi 100
Nobiscum. Da Praetori, da deinde Tribuno.
Sed libertinus prior est. Prior, inquit, ego adsum:
Cur timeam, dubitemve locum defendere, quamvis
Natus ad Euphraten, molles quod in aure fenestrac
Arguerint, licet ipse negem: sed quinque tabernae 105
Quadringenta parant. Quid confert purpura maior

Optandum, si Laurenti custodit in agro
Conductas Corvinus oves? ego possideo plus
Pallante et Licinis. Exspectent ergo Tribuni;
Vincant divitiae, sacro nec cedat honori, 110
Nuper in hanc urbem pedibus qui venerat albis:
Quandoquidem inter nos sanctissima divitiarum
Maiestas: etsi funesta Pecunia templo
Nondum habitas, nullas nummorum ereximus aras,
Ut colitur Pax atque Fides, Victoria, Virtus, 115
Quaeque salutato crepitat Concordia nido.
Sed quum summus honor finito computet anno,
Sportula quid referat, quantum rationibus addat:
Quid facient comites, quibus hinc toga, calceus hinc est
Et panis fumusque domi? Densissima centum 120
Quadrantes lectica petit, sequiturque maritum
Languida vel praegnans et circumducitur uxor.
Hic petit absenti, nota iam callidus arte,
Ostendens vacuam et clausam pro coniuge sellam.
Galla mea est, inquit. Citius dimitte: moraris. 125
Profer, Galla, caput. Noli vexare, quiescit.

Nulla umquam aetas, dicit poëta, hac nostra feraci-
or fuit omnis generis vitiorum, præsertim vero avaritia
et luxuria grassantur. Hinc insanus aleae furor, hinc
sordida sportulae petitio, quae tanta est ut summi aequa

Quorum hic est sensus: ullumne inde a primordiis gentis humanae fuit tempus omnis generis vitiis abundantius, quam hoc quo vivimus? Ad hanc meam conjecturam fulciendam accedat—quamquam id non primarium est—quod vocabula *votum* universe positum pro *spe* (oppositum enim est *timori*) *ira* pro *odio* sive *fastidio* (quippe oppositum *voluptati*), *discursus* pro *sollicitudine* sive *tristitia* (oppositum quippe *gaudüs*), non Juvenalis, sed senioris potius poetae habenda videntur.

88) *Quando major avaritiae patuit sinus?* Vocabulum *sinus* varie explicatur. Grangaeus accipit pro *crumena*, quiae veteribus e collo pendebat, deinde in sinum demittebatur, in quam, quo laxior erat toga majorque sinus, eo plura demitti poterant. Ita etiam Heinrichius. Britannicus metaphoram sumtam putat a navigantibus, quorum vela quanto majorem explicant sinum, tanto majorem vim ventorum excipient. Sed haec figura, quae, ut recte observat Häckermann., transferri quidem potest ad poëtam, qui nullo freno adhibito indulget ingenio poëtico, improprie de *avaritia* dicitur. Melius, ni fallor, explicetur *hiatus*, *gurges*, *vorago*, ut Senec. *Oedip.* 582: “dehiscit terra et immenso sinu laxata patuit”. *Hercul. fur.* 679: “immenso sinu placida quieta labitur Lethe vado”. Similiter quodammodo Cic. *Verr.* II, 2, 54: “Avaritia hiante atque imminentि esse”.

89) *Alea quando hos animos?* Verba haec variis modis accepta varieque tentata sunt. Britannicus: subaudi, inquit, "magis vexavit vel habuit vel aliquid tale". Lubinus: subauditur "habuit, possedit, occupavit, invasit". Unde sensus foret: quando ludus aleae umquam vehementius occupavit animos hominum quam hoc saeculo? Sed Heineck., *Animadv. in Juvenal. Sat.* Döllen., *Beiträge* cet. et imprimis Häckermann. in *Annall. Seebodii*, abunde probarunt talem ellipsis, scilicet verbi cum adverbio *magis*, exemplis et usu probari non posse, immo si probaretur, contextum versum non *hos animos*, sed *illos animos* poscere.

Recentiores quam maxime differunt. Heineck., quem probat Heinrichius, pro *hos animos* dedit *haec animos*. Huic tamen conjecturac, quam etiam ut ineptam rejicit Häckermann., respondeo Nobbii verbis: "equidem vereor, ne verba sic immutata plane sensu careant, certe ad hunc locum idoneo". Recte vero Pinzgerus, Nobbius, O. Jahnus, Weberus *hos animos* explicuerunt *hunc furorem*, *talem spiritum* sive *tantam cupiditatem*. Cujus significationis nominis *animus* multa exempla suppeditant auctores Häckermanno laudati. Omnia sic plana erunt, subauditio verbo *habuit*, quam ellipsis scholiasta jam declarat. Unde hic oritur verborum sensus: quando alea habuit tantos quantos nunc spiritus, sive tantam

Quorum hic est sensus: ullumne inde a primordiis gentis humanae fuit tempus omnis generis vitiis abundantius, quam hoc quo vivimus? Ad hanc meam conjecturam fulciendam accedat—quamquam id non primarium est—quod vocabula *votum* universe positum pro *spe* (oppositum enim est *timori*) *ira* pro *odio* sive *fastidio* (quippe oppositum *voluptati*), *discursus* pro *sollicitudine* sive *tristitia* (oppositum quippe *gaudii*), non Juvenalis, sed serioris potius poetae habenda videntur.

88) *Quando major avaritiae patuit sinus?* Vocabulum *sinus* varie explicatur. Grangaeus accipit pro *crumena*, quae veteribus e collo pendebat, deinde in sinum demittebatur, in quam, quo laxior erat toga majorque sinus, eo plura demitti poterant. Ita etiam Heinrichius. Britannicus metaphoram sumtam putat a navigantibus, quorum vela quanto majorem explicant sinum, tanto majorem vim ventorum excipient. Sed haec figura, quae, ut recte observat Häckermann., transferri quidem potest ad poëtam, qui nullo freno adhibito indulget ingenio poëtico, improprie de *avaritia* dicitur. Melius, ni fallor, explicetur *hiatus*, *gurges*, *vorago*, ut Senec. *Oedip.* 582: “dehiscit terra et immenso sinu laxata patuit”. *Hercul. fur.* 679: “immenso sinu placida quieta labitur Lethe vado”. Similiter quodammodo Cic. *Verr.* II, 2, 54: “Avaritia hiante atque imminentि esse”.

89) *Alea quando hos animos?* Verba haec variis modis accepta varieque tentata sunt. Britannicus: subaudi, inquit, “magis vexavit vel habuit vel aliquid tale”. Lubinus: subauditur “habuit, possedit, occupavit, invasit”. Unde sensus foret: quando ludus aleae umquam vehementius occupavit animos hominum quam hoc saeculo? Sed Heineck., *Animadv. in Juvenal. Sat.* Döllen., *Beiträge* cet. et imprimis Häckermann. in *Annall. Seebodii*, abunde probarunt talem ellipsis, scilicet verbi cum adverbio *magis*, exemplis et usu probari non posse, immo si probaretur, contextum versuum non *hos animos*, sed *illos animos* poscere.

Recentiores quam maxime differunt. Heineck., quem probat Heinrichius, pro *hos animos* dedit *haec animos*. Huic tamen conjecturae, quam etiam ut ineptam rejicit Häckermann., respondeo Nobbii verbis: “equidem vereor, ne verba sic immutata plane sensu careant, certe ad hunc locum idoneo”. Reete vero Pinzgerus, Nobbius, O. Jahnius, Weberus *hos animos* explicuerunt *hunc furorem*, *talem spiritum* sive *tantam cupiditatem*. Cujus significacionis nominis *animus* multa exempla suppeditant auctores Häckermanno laudati. Omnia sic plana erunt, subauditio verbo *habuit*, quam ellipsis scholiasta jam declarat. Unde hic oritur verborum sensus: quando alea habuit tantos quantos nunc spiritus, sive tantam

vim, furorem. Lucan. *Pharsal.* VIII, 541, eadem utitur ellipsi:

O Superi, Nilusne et barbara Memphis
Et Pelusiaci tam mollis turba Canopi
Hos animos? sic fata premunt civilia mundum.

91) *Praelia quanta rēl.* Male nonnulli haec vel de rixis et altercationibus, quae inter collusores oriuntur, vel de jurgiis domini cum dispensatore acceperunt. Cujusmodi interpretatio frigida est et inepta. Recte jam Grangaeus animadvertisit, ludum aleae quodammodo cum proeliis comparari, et Weberus plane explicuit dicens: “Proelia non rixae, jurgia, altercationes collusorum vel dominorum cum dispensatoribus sunt, sed comparatur tesserarum lusus vere cum proelio, in quo ludentium partes cum suo quaque dispensatore sibi adversantur et cupiditate flagrant vincendi, i. e. nummos auferendi”. Huic sensui quadrat etiam v. *armiger*: ut ludus cum proelio, sic dispensator cum armigero comparatur: dispensator adstat tanquam armiger, qui non talos, ut quidam perverse putarunt, sed nummos ad ludendum domino ministrat. Nummi sunt arma, quibus partes adversae sibi invicem bellum faciunt; haec arma sumuntur ex arca nummorum (“posita sed luditur arca”), quae est quasi armarium. Metaphorice igitur haec et ironice dixit, mordens Romanos, ut ait Lubinus, qui strenui quasi milites sint in talibus armis.

92) *Simplexne furor — non reddere.* Häckermann. explicat: "simplex nonne furor", h. e. nonne merus est furor? Eo usus argumento quod Hand. ad Tursell. T. IV, p. 74, dicit: "alia ratione occupamus affirmationem, dum negamus contrariam sententiam. Id proprie exprimitur verbo *nonne*, sed brevius etiam per simplex *ne*". Sane Ciceronem cum optimis scriptoribus sic esse locutum scimus; attamen quisque facile sentiat, tali explicatione sententiam frigidius esse enuntiatam. Poëta nempe in istos lusores, qui dum maximas summas alea decoquunt, vix servos suos fame et frigore algentes vestiant, nimis acriter invehitur, quam ut simpliciter roget: "nonne hic est merus furor?" Sane est furor, at non simplex furor, sed duplex, triplex, multiplex furor. Hoc, ni fallor, est quod vult poëta quaerendo: *simplexne furor?*

Reddere. Propriam hujus verbi vim bene explicuit Oudendorp. ad Suet. Tib. C. 16: "ubi reddere pro dare vel edere poni videtur, includit debitum". Sic dicitur Horatio, Art. Poët. 316: "reddere personae scit convenientia cuique". Similem vim haec praepositio habet in aliis compositis, velut rem suo loco reponere, referre in tabulas. Herus servo debet cibum et vestitum: reddit igitur quum dat ei debita. Sensus itaque est; nonne multiplex est furor, inaudita insania, dum centum sestertia alea perdis, servum hieme, quando frigore horret, non vestire?

94) *Secreto coenavit.* Haec verba, quae interpretes tam antiquiores quam recentiores valde torserunt, habent tamen, ni fallor, satis apertam significationem. Poëta proavorum notae frugalitati opponit praesentium temporum luxuriam. Antiqui, ut ait Cato, in atrio et duobus ferulis epulabantur. Valer. Max. II, 5: "Fuit illa simplicitas antiquorum in cibo capiendo, ut maximis viris prandere et coenare in propatulo verecundiae non esset: nec sane ullas epulas habebant, quas populi oculis subjecere erubescerent". Huc quoque spectat quod Vell. Paterc. II, 14, narrat de Druso domum aedificante in Palatio: "Tu vero, dicebat architecto, siquid in te artis est, ita compone domum meam, ut, quidquid agam, ab omnibus perspici possit". Notat quoque Servius ad Virg. *Aen.* I, 730, antiquis morem fuisse, in atrio, ubi multa negotia domestica agebantur, etiam coenare. Huic avorum mori tenues coenas in aperto habentium, ubi ab omnibus conspici possent, opponit aequalium luxuriam in interiore domo epulantium, in quam sese recipiunt, ut gulæ indulgeant. Hoc sensu illud *secreto accipiendum esse*, colligatur etiam e sequenti versu:

Nunc sportula primo
Limine parva sedet, turbae rapienda togatae.

Illud enim *sportula primo limine oppositum*, ni fallor, praecedenti *secreto coenare*, ut sententiarum nexus hic sit:

Quis avorum in interiore domo septem ferculis epulatus est? immo tunc, ut ait Cato, duobus ferculis in atrio coenabant; nunc vero in atrio sportula ponitur rapienda clientibus. Tali modo alterum illud membrum: *Nunc sportula primo limine sedet*, priori: *Quis secreto coenavit*, optime respondet. Nexus hunc, quantum video, nemo interpretum animadvertis.

95) *Nunc sportula primo limine parva sedet.* Sportulae, ut omnibus notum, sunt munera, quae patroni clientibus dare solebant. Erant haec partim opsonia, partim pecuniae. Utrum horum hoc loco intelligendum, dissentient interpres. Völker. *Excurs. ad Sat. I*, p. 39, de rectis coenis hoc dictum accipit, quod tamen totus satirae contextus convincit non esse probandum. Britannicus et Heinrichius de opsoniis accipiunt. Atqui summos intelligendos esse facile appareat ex sequentibus dictis usque ad vs. 122, imprimis e vs. 117:

Sed quum summos honor finito computet anno &c.
idemque colligas manifesto e vs. 120:

Densissima centum

Quadrantes lectica petit.

Parva. Britannicus: “conqueritur, inquit, imminutam esse sportulae liberalitatem”. At hujus vocabuli vim nullus interpretum recte explicuit, excepto Lubino, qui ad veram

significationem proxime accedit. *Parva* nempe dicitur sportula, ut opposita insano aleae furori et sumtuosis epulis. Idem, qui tam prodigi erant in indulgendo suis libidinibus, parci erant erga clientes, quibus parva tantum sportula dabatur. *Sedet sportula* Häckermann. pro iis, qui sportulam peterent, dictum accipit; ut Virg. *Aen.* IV, 473: "ultrices sedent in limine Dirae". Evidem nullam figuram hic agnosco, et non de clientibus sed de ipsa sportula intelligo, similiter ac in *Sat.* II, 119: "Ingens coena sedet", ubi *sedet pro posita est* usurpatur.

Turbae rapienda togatae. Ornate Romani dicuntur *gens togata*; sic Virg. *Aen.* I, 282: "rerum dominos gentemque togatam". Atque hoc loco *turbam togatam* non de plebecula, quae togis induita ad sportulam iret, ut quidam interpres putarunt, dictum esse, colligas e sequentibus dictis, in quibus Praetores, Tribuni et Trojogenae producuntur. Sed comtemtim Quirites hoc nomine designat per oxymoron. Similiter Horat. *Carm.* I, 1, 17: "mobiliū *turba* Quiritium".

97) *Ille tamen* cett. Antiquiores et recentiores, inter quos imprimis Döllen, Weber, Heinrich, Achaintre, pronomen *ille* referunt ad servum nomenclatorem, quod docte refellit Häckermannus. Et revera jam inde a vs. 90 sententiarum junctura indicat intelligendum esse dominum, qui partes primarias agit. Haec interpretatio sola con-

gruit cum verbis *trepidat et jubet*. — *Ipsos Trojungenas*, est acerba ironia in clientes ex antiquis familiis ortos, quos *Sat.* VIII, 181, “Teuerorum prolem” dicit: id est Romanos nobiles, quorum multi fictis genealogiis genus ab Aenea ducabant. Vid. *Serv. ad Aen.* V, p. 404; *Varro, de familiis Trojanis*; imprimis Cl. Karsten, *De antiquissima historia Romana*, p. 36.

101) *Da Praetori, da deinde Tribuno.* Qui praegressum pronomen *ille* de dispensatore, non de ipso domino accipiunt, etiam haec necessario ad eundem dispensatorem referunt. Multi autem antiquorum putabant haec esse verba ipsorum eorum, qui sportulam peterent clamantes, *praetor: da praetori! tribunus: da tribuno!* At imperativus *da* refertur ad eundem nominativum atque verbum praecedens *jubet*. Ipse dominus, qui sportulae distributioni praeest, jubet famulum dare: *da Praetori, da deinde Tribuno!* indicat hoc quoque ipsa particula *deinde*, quae inepta foret, si ipse tribunus hoc diceret. Soliloquium nunc sequitur libertini, qui contendit se Praetore et Tribuno priorem esse; itaque non tantum se aequat magistratu, sed ei se praefert, multis usus verbis glorio sis usque ad vs. 109.

105) *Sed quinque tabernae*, cett. A generis antiquitate sese extollere non potest, sed jactat se a divitiis

et censu equestri: licet ignobilis, magnas tamen habeo
divitias, quas mihi parant tabernae argentariae. Ita Ro-
mae aedificia quaedam appellabantur juxta Forum, de
quibus Livius XXIII, 27. XXVII, 11. Cf. Brisson.
Select. Antiqq. II, 12. Herm. Hubert. *Dissert. jurid.* II.
de Argentariüs Vol. II. T. 1. Thes. Oelrichs.

106) *Quid confert purpura major rell.* Innuit liber-
tinus quinque illas tabernas illi plus conferre quam
honores et magistratus; quod probat exemplo Corvini
eujusdam, qui conductas oves custodire cogeretur.

109) *Pallante et Licinis.* *Pallas* fuit Claudii libertus,
eujus potentia et divitiae satis notae. Sed de nomine pro-
prio *Licinis* dubitant interpres. Secundum plerosque,
ut Grangaeum, Britannicum Heinrichium, Rupertium,
O. Jahnium ad Persii *Satir.* II. p. 128, intelligendus
est Licinus ille qui fuit Julii Caesaris vel Augusti liber-
tus, postea Galliae praepositus, qui maximas divitias
rapinis corrasit. Ad hunc Licinum scholiastes ad *Sat.*
X, 226, refert hujus satirae vs. 25: "Quo tondente gravis
&c, eundemque intelligi volunt in Horat. *Art. Poet.* vs. 301:

Si tribus Anticyris caput insanabile numquam
Tonsori Licino commiserit.

Mirum tamen ita pluralem numerum *Licinis* ponи, quum

unus tantum Licinus divitiis et opibus inclaruerit. Et hic quidem pluralis ille *Licini*, pro uno *Licino*, eo minus ferendus est, quia cum singulari *Pallante* conjugitur. Quamobrem equidem opinor, *Licinis* potius pro *Licinii* accipiendum esse, atque intelligendos divites ex illa gente Romanos, qui luxu et opibus inclaruerunt, inter quos ante omnes M. Licinius Crassus et L. Licinius Lucullus insignem tenent locum. Neque huic explicationi obstare mihi videtur, quod *Licini* cum *Pallante* copulantur; immo festive libertus ille, suis glorians divitiis, veteres nobiles et libertos recens divites tanquam pares inter se confundit.

111) *Pedibus albis*, interpretes explicant *cretatis*. Cretaceis nempe vel gypsatis pedibus venales servi prostituebantur. Tibull. *Eleg.* II, 6:

Nota loquor: regnum ipse tenet, quem saepe coegit
Barbara gypsatos ferre catasta pedes.

Alibi eodem sensu pro *albis pedibus* ponit *nudos*. *Sat.* VII, 16:

Altera quos nudo traduxit Gallia talo.

Etiam van Loon. *de Manum. Servor.* IV, 3: "Seio equidem nudis pedibus ductos esse Romam qui venderentur".

113) *Etsi funesta Pecunia templo rell.* Nonnulli Romanos deam *Pecuniam* coluisse statuunt ex Seneca *de*

Prov. 5; *August. de Civ. D.* IV, 27, 29. Revera tamen ex illis locis apparere, Romanos Pecuniam tanquam deam consecrassae, non videtur. Satirice carpit aequales suos, quibus ob insatiabilem avaritiam Pecunia revera pro Dea esset, etsi non tempa et sacra ei essent dicata, ut erant Paci, Fidei, Victoriae, cett.

Nummorum erexit aras. Usitate diceretur nummis.
Est structura Graeca, ut recte animadvertis Heinrichius.
Soph. Oed. Col. 466: έως νῦν καθηρμὸν τῶνδε σαιμόνων.

116) *Quaeque salutato crepitat rell.* De sensu horum verborum, qui omnes interpres tam antiquos quam recentiores maxime exercuit, adhuc sub judice lis est, et, etiam nunc repetere cogimur quae jampridem Britannicus scripsit: “quid de hac historia sentiendum sit, alii dijudicent, ego adhuc quaerendum censeo” Difficultas autem inde orta videtur, quod ignoramus rem, quam spectaverit poëta. Verba *salutato crepitat nido* petita sunt a ciconia, quae redeunte vere nidum suum revisit, et crepitante rostro gaudium significat. *Crepitare enim proprium vocabulum de hac ave*, ut apud Ovid. *Met.* VI, 97: “crepitat ciconia rostro”, quem locum Juvenalem respexisse suspicabatur Farnabius. Hac autem imagine poëta non ideo usus. videtur, quod ciconia sit symbolum concordiae, ut nonnulli putarunt, quos recte refellit Heinrichius, ostendens secundum Angelum Politianum in

Miscell. cornicem esse, cuius effigie repraesentaretur Concordia, quia “Cornices inter se fidissimae sunt et, quum societatem inierint, maxime se opere diligunt”. Quo minus vero hic cornix intelligatur, obstat quod ciconia, non cornix rostro crepitat. Quae igitur inter *Concordiam* et *ciconiam* necessitudo est? Nullam aliam video nisi hanc, ut poëta illud *salutato crepitat nido* metaphorice posuerit hoc sensu: Concordia quae, reddita ipsi aede, prae gaudio quasi crepitavit, ut ciconia, quae nidum revisit. Spectaverit hoc poëtae dictum fortasse ad templum aliquod Concordiae nuper instauratum, vel ad concordiam inter cives post dissidium aliquod restitutam, quam ob causam Dea ipsa laetitiam significare dicatur. Suspicari licet, tale quid factum esse imperante Trajano, qui, ut satis ex historia notum est, plurimum contulit ut concordia inter cives rediret.

117) *Sed quum summus honor cet.* Si magistratus, inquit, finito anno computant, quantum lucri sibi attulerit sportula, quid facient illi, qui ex sportula omnia sibi comparare debent, quae ad victum et cultum pertineant? Diserte totum hunc locum expressit Mart. *Epigr.* X, 10:

Quum tu, laurigeris annum qui fascibus intras,
Mane salutator limina mille teras:
Hic ego quid faciam? quid nobis, Paule, relinquis,
Qui de plebe Numae densaque turba sumus?

Qui me respiciat, dominum regemque vocabo?
Hoc tu, sed quanto blandius, ipse facis.
Lecticam sellamque sequar? nec ferre recuso;
Per medium pugnas sed prior ire lutum.
Saepius assurgam recitanti carmina? tu stas,
Et pariter geminas tendis in ora manus.
Quid faciet pauper, cui non licet esse clienti?
Divisit nostras purpura vestra togas.

119) *Quid facient comites?* Istud *quid facient* duplum explicari possit. Vel sic: Quum sportula a ditionibus tam cupide appetatur, quid facient, quid agent, sive quae sors futura est pauperum clientium, quum munera, unde vitam sustentare debent, sibi praerepta videant? Vel ita: Quum divites sportulam tam avide, tam impudenter, petere non erubescant, quanto minus erubescunt pauperes, qui quidquid habent hinc habent. Posterior explicatio sensui convenientior est, cui quadrant proxime sequentia, quibus poëta ad quaestionem, *quid facient?* respondet pingendo artificia et fraudes, quibus pauperum turba munera sibi comparare et lucrum facere conatur.

120) *Densissima lectica.* Clientium densissima multitudo lecticis vectorum, ut recte explicat Heinrichius comparans praeter alia haecce: “plurimus aeger”, Juven. III, 232. “plurima palma”, VIII, 58. Adde, ne plura, “multo milite”, Horat. *Od. I*, 15, 6.

125) *Galla mea est—moraris.* *Gallae* nomen frequens apud Martialem; h. l. est nomen fictum. Porro omnes fere interpres legunt *moraris?* Heinrichius primus, sublato interrogationis signo, explicit: *moraris nos.* Perperam. Recte Jahnus priorem lectionem *moraris?* restituit. Nempe arrogantia illorum clientium eo progeditur, ut maritus increpet dispensatorem, quod cunctantius sportulam porrigat.

126) *Profer, Galla, caput.* Sunt verba dispensatoris cupientis videre an intus sit Galla, quo minus decipiatur fraude; exemplum secutus domini, qui et ipse vs. 97 “faciem prius inspieit”, ne suppositi veniant ac falso nomine poscant. *Noli vexare* dicit maritus timens ne fraus detegatur, noli tangere meam Gallam, nam præ lassitudine dormit.

Ipse dies pulero distinguitur ordine rerum:
Sportula, deinde forum iurisque peritus Apollo
Atque triumphales, inter quas ausus habere
Nescio quis titulos Aegyptius atque Arabarches, 130
Cuius ad effigiem non tantum meiere fas est.
Vestibulis abeunt veteres lassique clientes,
Votaque deponunt: quanquam longissima coenae
Spes homini: caulis miseris atque ignis emendus.
Optima silvarum interea pelagique vorabit 135

Rex horum, vacuisque toris tantum ipse iacebit.
Nam de tot pulcris et latis orbibus et tam
Antiquis una comedunt patrimonia mensa.
Nullus iam parasitus erit: sed quis feret istas
Luxuriae sordes? Quanta est gula, quae sibi totos 140
Ponit apros, animal propter convivia natum!
Poena tamen praesens, quum tu deponis amictus
Turgidus et crudum pavonem in balnea portas.
Hinc subitae mortes atque intestata senectus.
It nova nec tristis per cunctas fabula coenas, 145
Ducitur iratis plaudendum funus amicis.

Sportula memorata, perstringit deinceps reliqua diurna
negotia, quibus tempus frustra perdebant, imprimis opu-
lentas coenas et voracitatem, quibus divites patrimonia
consumant et subitas sibi mortes contrahant.

127) *Ipse dies pulcro distinguitur ordine.* Ironice
haec dicta: Romani accurate totius diei officia ordinare
et singulas horas pulchre rebus agendis impendere norunt.
Haec nec de divitibus solis nec de solis clientibus
intelligenda esse, ut multi volunt, sed aequo in utrosque
dicta esse, sequentia satis indicant.

128) *Sportula, deinde Forum* rell. Dubii haerent
quodnam verbum ad v. *sportula* subaudiendum sit. Alii

supplent *petitur*, alii *distribuitur*; utrum praeferas parum differt. Iteratur autem vox *sportula*, ut a praegressis transitus paretur ad ea quae deinceps fiunt. Idem est ac si dicere: primum igitur, ut dixi, *sportula*, sive *sportularum distributio*, deinde *forum*, eett. sive alio modo: postquam igitur *sportulae distributae sunt*, itur deinde ad *forum*, comitantibus clientibus, qui inde revertentes, ad aedes deducunt dominum ibique exspectant sperantes se ad coenam vocatum iri: frustra: postquam diu exspectarunt, frustrata spe, lassi abeunt. Inde intelligitur, *veteres illos clientes* non intelligendos esse eos, quos modo dixit *sportulam petentes*, ut Völker. aliquique putarunt. Melius Mancinelli: “divitum, inquit, atque nobilium notat avaritiam, qui quum salutati fuissent postea comitati in forum diversaque loca, reducti inde domum, clientes non cibabant, quod quidem illi sperant: hinc lassi et jejuni vestibulis abibant”.

Jurisque peritus Apollo. Schol. ad h. l. annotat: “aut quia juxta Apollinis templum jurisperiti sedebant et tractabant; aut quia bibliothecam juris civilis et libera- lium studiorum in templo Apollinis Palatini dedicavit Augustus”. Prior explicatio magis placet; nam in hoc foro erat statua eburnea Apollinis, ubi causae agebantur, de qua Plin. VII, 53. Unde facete poëta *jurisperitum Apollinem nominat*, quasi qui singulis diebus litigantes audiendo peritus factus esset. Similiter Martial. *Epigr.*

II, 64: "Marsya causidicus". Ad quod forum respexit etiam Horatius loquens de Bolano garrulo tracto in jus, *Sat.* I, 9: "sic me servavit Apollo".

129) *Atque triumphales*. Transit ad imagines, h. e. ad forum Augusti. Erant in hoc foro porticus ab Augusto aedificatae, quarum in altera ordine omnes Latini reges a capite et principe Aenea, in altera Romani duces et reges inde a Romulo triumphali effigie dedicati erant. Cf. Suet. *Aug.* 31. Antiquis temporibus dabantur statuae iis, qui decus istud sudore et sanguine meriti essent; postea autem, corruptis moribus, obtigerunt iis, qui numquam in acie stetissent, numquam castra vidissent, numquam tubarum sonum, nisi in spectaculis, audiissent. Cf. *Sat.* X, 38. Plin. *Epp.* II, 7.

130) *Aegyptius atque Arabarches*. De his vocabulis multum olim interpretes disceptarunt; sed post doctam elucubrationem Häckermann in *Annal. Seebodii*, Vol. XV, p. 550 seqq. controversia sublata est. Dubitarunt nempe primum de lectione: in aliis enim libris *Arabarches*, in aliis *Alabarches*; quamquam, ut jam monuerunt Ruperti et Achaintre, omnes fere codices, paucis exceptis, habent *Arabarches*. Idem nomen est apud Cie. *ad Attic.* II, 17: "velim e Theophane expiscere, quoniam in me animo sit *Arabarches*", quod interpretati

sunt vel mollem Arabiae praefectum, vel eum qui praefuerit servis ex Arabia Romam advectis, vel praefectum vectigali pro animalibus solvendo. At Cujacius in hoc Ciceronis loco legi voluit *Alabarchen*, cui obsecutus est Ernestius et interpretatur magistrum scripturae vel vectigalis e pascuis, ab ἀλάβα, atramento. Quem vero Cicero l. l. significet nomine *Arabarches* copiose explicuit Häckermann., qui declarat totum epistolae contextum satis ostendere Ciceronem non M. Antonium, ut putabat Cujacius, T. III, p. 216, sed Pompejum significasse, quem ridendo *Arabarchen* dicere optime potuit, ut qui Idumacos et Arabes se subjugasse gloriaretur, et propter victorias suas et opes tantum sumebat fastum tantamque superbiam, ut revera tanquam orientalem regulum se jactaret. Ejusdem generis plura cognomina leguntur in Epistolis ad Atticum: II, 14, 16, 17, 23, "Sampsiceramus"; II, 9, "Hierosolymarius"; II, 7, 2, "Megalobocchus". Etiam etymologia hanc lectionem firmat: est enim compositum ex Ἀραψ et ἄρχειν, cuiusmodi compositionis plurima sunt exempla, ut "Asiarcha", Impp. Honor. et Theod. Cod. Theod. XV, 9, 2; "Syriarcha"; "Boeotarches", aliaque. Praeterea in novissime reperitis monumentis ἀραβάρχης, ut nomen magistratus, se legissee testantur Peyron, Letronne, aliique quos laudat Häckermann. p. 553.

Haec sufficient ad probandum lectionem *Arabarches*

esse praeferendam; notat autem vel titulum praefecti Arabiae, vel partis Aegypti quae Arabiae nomine designabatur, vel, quod magis mihi placet, per ludibrium significat hominem barbarum, opulentia elatum et Asiaticum fastum atque luxum piae se ferentem, qualem nos diceremus “een Oosterschen Pacha”.

Quemadmodum autem de vocabuli lectione, ita quaeritur etiam de eo, quem h. l. poëta spectaverit. Alii universe significari putabant quemvis effeminatum atque mollem; alii Josephum a Judaeis ducem creatum; alii alium. In toto autem textu nihil adest, unde efficere liceat unum aliquem horum designari; sed verba *nescio quis* et *cujus ad effigiem* cett. satis indicant poëtam loqui de homine, qui malis artibus ex humillima condizione ad potentiam et gloriam pervenisset, quem non nominando acerius mordit et perstringit. Itaque non dubito, quin idem ille Crispinus significetur, qui e servili conditione ad summum fastigium evectus est, quem notavit supra vs. 26 seqq. et in quem poëta identidem acerime invehitur. Improbat hoc Heinrichius, quia Crispinus non fuerit proprie Arabiae praefectus; at haec objectio tollitur, si accipiamus improprie, ut diximus, de homine qui Romae ut Arabarches viveret.

Addamus quoque inter viros doctos non constare de lectione particulae. Plerique *Aegyptius aut Arabarches*; Heinrichius, Häckermann. et optimi inter recentiores *Aegyptius*

atque *Arabarches*. Posterius hoc praeferendum videtur, quia his vocabulis non duae diversae personae designantur, sed unus, nescio quis, qui per contemptum duabus his appellationibus indicatur. Sic *Sat.* XIV, 20, saevus dominus appellatur: “*Antiphates ac Polyphemus*”.

132) *Vestibulis abeunt veteres lassique*. Antiquiores rectius haec verba intellexerunt quam recentiores. Gran-
gaeus jam explicuit; “Ad quae (vestibula) deduxerant ex foro patronos et reges, non ulterius admissi”. Per-
peram nonnulli id referunt, ad clientes qui mane dominum salutatum venirent. *Cientes veteres* non sunt clientes *graves, severi*, ut Heinrichius explicat, sed potius, ut idem addit, et explicat item Mohr. in *Annot. in Juven.* p. 32, qui jam per multos annos clientes fuerant. **Additum** hoc ad rei indignitatem augendam. *Lassi* sectando et exspec-
tando tandem discedunt.

133) *Longissima cœnae spes venuste dicitur spes ad-*
modum patiens, sive longissima in exspectanda coena pa-
tientia, cuius ratio redditur addito: “caulis miseris atque
ignis emendus”, h. e. alioqui exilis coena suo sumtu pa-
randa ipsis erit.

136) *Tantum ipse jacebit*. Quia solus edat ut sordi-
dus, dicit Britannicus. Tamen illud *ipse* non ita urgendum,

ut stricte solus intelligatur dominus; potius intelligatur: non admissis clientibus.

138) *Una comedunt patrimonia mensa.* Dictum in insatiabilem gulam et epularum luxuriam. Interpretes fere omnes explicant ita: una mensa, i. e. unis epulis comedunt sive consumunt omnem censem. “*Tam laute, inquit Britannicus, tantoque impendio epulantur divites Romani, ut una coena absumant patrimonia.*” Haec autem explicatio non est conveniens sensui poëtae. Loquitur de usitatis divitum epulis, qui si una coena censem omnem absumerent, nec admodum opulentii essent nec diu haec felicitate fruerentur. Potius verba sic accipienda sunt: *una mensa*, h. e. *uno triclinio*, in qua dominus tantum coenat: significat epulas, quibus solus dominus fruitur, nullis clientibus admissis. Hoc congruit et praecedentibus: *vacuis toris tantum ipse jacebit*, et sequentibus: *nullus jam parasitus erit.* Itaque sensus est: comedunt opes suas secretis coenis, ad quas nullum clientem admittunt. Hoc est illud quod supra jam tetigit vs. 94: “*quis fercula septem secreto coenavit avus?*”

139) *Nullus jam parasitus erit: sed rell.* Festive his dictis ambos carpit, et parasitos et dominos. “*Ita liberabimur sane parasitis; at contra intoleranda laborabimus luxuria.*”

140) *Luxuriae sordes.* Quemadmodum jam animadvertisimus supra, poëtam saepe contraria verba copulare, sic quoque h. l. *luxuriae sordes* i. e. luxuriosam avaritiam copulat. Pulcherrime illa duo contraria, inquit Ascensius, conjungit, quae revera in uno subjecto concurrebant, sed diverso respectu. Huic simile est *Sat.* III, 183: "ambitiosa paupertas". Neque plane dissimilia vs. 49: "fruitur Dis iratis", et vs. 146: "iratis plaudendum funus amicis".

Quanta est gula! Exclamatio in derisionem gulæ: quasi dives non possit sibi ventrem implere, nisi integrum aprum sibi apponat.

145) *It nova, nec tristis—fabula.* Plerique interpretabunt hanc *nec tristem* appellari volunt, quia nemo sit, qui propterea aliquam præ se ferat tristitiam: quippe ab intestato mortuus est, clientibus amicisque nihil legavit, nemo vivum amavit, nemo mortuum luget. Häckermannus vero *tristem fabulam* explicat: duram et acerbam, merito extimescendam iis qui, aequæ ac mortuus helluo gulæ indulgentes, similem sortem sibi metuere debeant; quod tamen non curant nec metuunt, quare *fabula it nec tristis*, nulli sollicitudinem aut curam movens. Eo sensu Virg. *Eclog.* II, 4. Horat. *Carm.* I, 16, 9; aliique quos laudat Häckermann. p. 564.

146) *Ducitur iratis plaudendum funus.* Interpretes in his verbis laetitiae significationem inesse volunt, quod amicis nihil sit cur luctum et tristitiam simulent. Aliud quid significasse puto poëtam. *Plaudere funus* proprie non dicitur: qui enim funus comitantur amici, non plausum et laetitiam, sed moerorem et luctum saltem prae se ferunt. Tropice vero dictum videtur *funus plaudendum amicis* pro mortuus amicis laudandus erit, bona omnia de mortuo dicenda. Vocabulum desumtum de scena: ut histrio, fabula bene acta, plausu comprobatur et laudatur, sic mortuus qui vita, quasi actu, bene functus est, *plaudi h. e. laudari* dicitur. Per oxymoron addit *iratis amicis*; nam dum specie laudant mortuum, revera irati sunt, quod repentina mors ipsis haereditatis spem ademit.

Nil erit ulterius, quod nostris moribus addat
Posteritas? eadem cupient facientque minores?
Omne in praecipi vitium stetit. Utare velis,
Totos pande sinus. — Dicas hic forsitan: Unde 150
Ingenium par materiae? unde illa priorum
Scribendi, quocunque animo flagrante liberet,
Simplicitas, cuius non audeo dicere nomen?
Quid refert dictis ignoscat Mucius an non?
Pone Tigellinum: taeda lucebis in illa, 150
Qua stantes ardent qui fixo gutture fumant,

Et latum media sulcum deducis arena. —
Qui dedit ergo tribus patruis aconita, vehatur
Pensilibus plumis atque illinc despiciat nos? —
Quum veniet contra, digito compesce labellum: 160
Accusator erit, qui verbum dixerit, Hic est.
Securus licet Aeneam Rutulumque ferocem
Committas; nulli gravis est percussus Achilles,
Aut multum quaesitus Hylas urnamque secutus.
Ense velut stricto quoties Lucilius ardens 165
Infremuit, rubet auditor, cui frigida mens est
Criminibus, tacita sudant praecordia culpa.
Inde irae et lacrimae. — Tecum prius ergo voluta
Haec animo ante tubas: galeatum sero duelli
Poenitet. — Experiar, quid concedatur in illos, 170
Quorum Flaminia tegitur cinis atque Latina.

His versibus continetur deliberatio, colloquii in modum,
qua ea quae poëtam vel ad satiras scribendas impellant
vel ab eo opere avocent, perpenduntur. Ab una parte
seges vitiorum, quae tacere non sinant; ab altera parte
rei difficultas, cui vix ingenii vires sufficient, et periculi
magnitudo e principum et potentium reprehensione immi-
nens. Tandem sic concludit: si vivos carpere non conces-
sum sit, se illustrium mortuorum vitia satiris exagitatu-
rum. Interpretes plerique fingunt, induci monitorem sive

interlocutorem, poëtac obloquentem, et hunc vicissim illius argumentis respondentem. Quod eatenus probari potest, si intelligamus, interlocutorem hunc non alium esse nisi ipsum poëtam, qui secum, ut Homerice loquar, *διάνθητα μερμηρίζει*, et quasi duplēm induens personam, argumenta utramque in partem ponderat. Idem animadvertisendum de plerisque hujusmodi colloquiis in Satiris; quod si teneamus, partium distributio, earum junctura et transitus multo fit lucidior. Vices autem tali modo se excipiunt: Postquam poëta, indignatione motus, semetipsum incitavit verbis: "Utere velis, totos pande sinus", objiciuntur haec, vss. 150-157: "Dicas hic forsitan: Unde ingenium—arena". Ad haec reponit poëta vss. 158-159: "Qui dedit ergo—despiciat nos?" Quibus respondetur vss. 160-168: "Quum veniet contra—lacrimae". His in utramque partem deliberatis subjicit hanc conclusionem, vss. 168-170: "Tecum ergo prius—pœnitet". Postremo decernit, quid facturus sit: "Experiar quid concedatur in illos—Latina". Diversas has vices lineolis distinximus, in quo paululum recessimus ab ea distributione quam Heinrichius et Häckermannus, ipsi quoque inter se discrepantes, secuti sunt.

149) *Omne in praecipiti vitium stetit. Antiquiores et recentiores, in his Rupertius et Heinrichius, in praecipiti*

explicant: in summo fastigio, ultra quod ascendere nequeat. Ad sensum recte; magis tamen proprie sic interpretere: vitium quasi in margine praecipitii jam stetit. Simile hoc Sophoclis dictum *Oed. Reg.* 877-881: Ὄβρις—ἀπέτομον ὥρουσεν εἰς ἀγάγκαν.

150) *Utere velis, totos pande sinus.* Hortatur poëta se ad scribendum et libere, quantum possit, exagitandum hominum probra. Metaphora a navigantibus petita, qua saepius utuntur non tantum poëtae sed etiam oratores. Sensus igitur est: nactus es materiam satirae scribendae uberrimam, utere igitur viribus et omni impetu invehere in vitia hominum.

153) *Simplicitas, cuius non audeo rell.* Qui aperte dicit sine ullis verborum ambagibus vel tricis, *simpliciter* loquitur. Itaque *simplicitas* proprie vocatur, quum nulla adhibeat figura, nulla simulatio ad sensus animi velandos. Ut autem *εὐθεία* apud Graecos, sic hoc vocabulum initio in laudem datum, paulatim in ludibrium flecti cœptum est. Apte igitur poëta antiquorum candorem in scribendo, quem proprio *libertatis* nomine appellare non audebat, dissimulanter et ironice ambiguo vocabulo *simplicitatem* dicit. Si hunc vocabuli sensum attendisset Häckermannus, non reprehendisset poëtam, quod secum pugnantia dicat. Spectat praesertim Lucilium, ut indicat versus sequens; praecipiuus hic auctor fuit satirae, qua

mira libertate et acerbitate Mucium Scaevolam aliosque insectatus est: unde Pers. *Sat.* I, 114:

Secuit Lucilius urbem,

Te Lupe, te Muci, et genuinum fregit in illis.

Cf. Quintil. *Instit. Orat.* X, 2.

154) *Quid refert dictis ignoscat Mucius an non?*

Dictum hoc e persona Lucilii, quo declaretur illa veterum scribendi libertas. Mutata oratione idem est, ac si dixisset: Illi parum curabant, num potentes dictieris suis ignoscerent necne. Hic *Mucius* ponitur pro quovis homine potente.

155) *Pone Tigellinum: taeda lucebis in illa. Ponere,*
Graecorum τιθέναι, per translationem usurpatum est; nam proprie pictores et statuarii opera *ponere* dicuntur, quae perfecerunt. Horat. *Art. Poet.* vs. 34, de sculptore:

Infelix operis summa, quia ponere totum
Nesciet.

“Te ponet marmoream”, *Carm.* IV, I, 20; “sollers nunc hominem ponere, nunc Deum”, *Carm.* IV, 8, 8. Hic significat *traducere, palam exagitare*. Sententia haec opposita est praecedenti: at nunc perstringe, sodes, vitia hominis cuiusdam potentis, qualis fuit ille Tigellinus.

linus, Neroni gratus : non erit tibi tutum, suppicio afficeris.

Taeda lucebis in illa. Antiquiores illud *taeda* intelligebant de *tunica molesta*, de qua Seneca II, 14: "Cogita hoc loco carcerem et cruces et eculeos et uncum et adactum per medium hominem qui per os emergat stipitem, et distracta in diversam actis cruribus membra, illam *tunicam alimentis ignium et illitam et intextam*, quidquid aliud habet praeter haec commenta saevitia". Cf. Jos. Scalig. *Animadv. ad Euseb.* p. 197. Attamen fatendum hoc sensu non facile dici posse *in taeda illa*. Heinrichius igitur aliquique, ducti verbis Tertulliani, *Apolog.* p. 39: "Licet nunc sarmenticos et semaxios appelleatis, quia ad stipitem dimidii axis revincti *sarmentorum ambitu exurimur*", verba *lucebis in taeda illa* explicuerunt: circumdatus taedarum sarmentis exureris. At ne haec quidem explicatio conveniens est; nam qui super rogo vel in lignis ardentibus comburitur, non potest dici *in taeda lucere*, partim quia *in taeda* (sing. num.) hoc sensu non aptum est, partim quia *is*, qui lignis circumdatus uritur, nequaquam *lucet*, sed fumo erit obvolutus. Praeterea vero in verbis "*taeda lucebis in illa*" pronomen istud *illa* significat rem aliquam maxime memorabilem, supplicii genus insigne, idque non ita de rogo dici posse quisque statim agnoscat, si pro *taeda in illa* reposuerit *lignis in illis*; ineptum esse istud *illis* omnes fatebuntur.

Accipiendum igitur de suppicio illo crudelissimo, quod etiam memorat Tacitus, *Annal.* XV, 44: "Repressaque in praesens exitiabilis superstitione rursus erumpebat, non modo per Judaeam originem ejus mali, sed per urbem etiam, quo cuncta undique atrocia aut pudenda confluunt, celebranturque. Igitur primo correpti qui fatebantur, deinde indicio eorum multitudo ingens, haud perinde in crimen incendii, quam odio humani generis convicti sunt. Et pereuntibus addita ludibria, ut ferarum tergis contecti, laniatu canum interirent, aut crucibus affixi, aut flammandi atque, ubi defecisset dies, in usum nocturni luminis urerentur. Hortos suos ei spectaculo Nero obtulerat, et Circense iudicium edebat, habitu aurigae permixtus plebi, vel circulo insistens. Unde quamquam adversus sonentes et novissima exempla meritos, miseratio oriebatur, tanquam non utilitate publica, sed in saevitiam unius absumerentur". Sic quoque Sulpicius, *Sacr. Hist.* 2: "multi crucibus affixi, aut flamma usti, plerique in id reservati, ut, quum defecisset dies, in usum nocturni luminis urerentur". In hoc optime convenit vocabulum *lucibus*, quia cruciati revera veluti in usum luminis s. lanternae urebantur. Hoc tamen sensu *in taeda lucere* vereor ut recte dictum sit; quare parum abest, quin assentiar viro erudito, qui pro *taeda* legendum conjicit ipsum illud *tunica*; quod scripturae compendio facile obscurari potuit: quid enim facilius quam ut ex *tuica*, superscripta lineola

loco litterae *n*, fiat *taeda*? Idem pro *fumant* multo aptius censembat *flammant*, quod verbis *praegressis lucebis* et *ardent* concinet. Similiter Tacitus 1. 1. “aut crucibus affixi, aut *flammandi &c.*” Unde nascetur haec versuum illorum lectio:

Pone Tigellinum: tunica lucebis in illa,
Qua stantes ardent, qui fixo gutture flammant.

Idem supplicium memorat *Sat. VIII*, 235:

Ausi, quod tunica liceat punire molesta.

157) *Et latum media sulcum deducis arena.* Obscuritas, quae hujus versus verba premit, tam densa est, ut Pithoeus profiteretur se in his satiris nullum locum inventisse, quem minus intellexerit. Missis innumeris interpretationibus et lectionibus, a Rupertio aliisque collectis, tantum dicam, quid poëtam significasse arbitrer. Calderinus ad haec verba: “ad palum, inquit, duo genera supplicii erant apud antiquos; quidam enim puniebantur more majorum, hoc est, pendentes e furca nudis corporibus et caesi virgis usque ad mortem, ut Tranquillus interpretatur, unco producebantur in arenam, ubi postea pendentium crura frangebantur et injecto igne ardebant”. Non ergo erant proprie duo supplicii genera, sed ejusdem supplicii duae partes: Reus unco in arenam trahebatur, deinde cremabatur. Ita etiam intelligendus Plin. *Paneg.* 33: “Nemo e spectatore spectaculum fac-

tus miseras voluptates unco et ignibus expiavit". Haec si ad nostrum locum transferantur, palam est in his verbis esse *μοτερον πρότερον*; reus enim unco in arenam trahitur antequam crematur, non contra; quippe crematus trahi amplius non potuit.

158) *Qui—vehatur—despicat.* Poëta reponit: ergo sinam veneficum in pensilibus plumis, h. e. lectica plumis strata, vectum et alto servorum collo sublatum nos pedites despicere, nec obloqui audebo? Tigellinum notari putant; nullum tamen, quod sciam, exstat testimonium nisi illud Probi grammatici, qui eum tres patruos veneno necasse dicit, ut eorum haereditatibus potiretur, et subtractis annulis et tabulis falso signatis, haereditates esse consecutum. Lectio etiam dubia est. Nonnulli volunt *vehatur* et *despicat*, alii *vehetur* et *despicet*. Häckermannus, eumque secutus Jahnius, legit *vehatur* et *despicet*, cuius permutationis temporum exempla passim exstant in Juvenalis satiris: ex. gr. II, 140 et 141: "morientur—prodest"; IV, 126 et 127: "cicies—excidit". Quibus facile accedo, praesertim quum librarii fere proclives sint ad talia quae a vulgari norma recedant mutanda. Modorum discriminem, ut opinor, ita explicandum est: *Oportetne* ergo veneficum molli lectica *vehi*, et *deinde*, quod indignius, ex alto illo toro nos *despicet*?

160) *Accusator erit, qui verbum dixerit, Hic est.* Omnes fere interpretes haec verba sic explicant: Tace, ut ne suspicio quidem ullius verbi prolati cadere in te possit: nam mox ille accusator vel delator erit, qui principi dicet "Hic est" ille improbus, qui famam tuam laedit. Triplici modo *Accusator erit, qui cett. intelligi posse mihi videtur.* Primum sic: tace, nam ille accusator s. maledicus habebitur qui, quum nequam iste ei obviam venerit, tantum dixerit: "hic est". *Accusare* non solum est *accusare aliquem apud judicem*, sed etiam *reprehendere, culpare.* Ex. gr. Cic. *ad Quint. Frat.* II, 2; *ad Attic.* I, 6. Terent. *Heaut.* I, 1, 49. Deinde significet etiam: tace, nam aderit alter, qui te potenti obviam factum denuntiabit verbo: "hic est". Hoc sensu *accusare*, etiam apud quemvis alium quam apud judicem, verum aut falsum peccatum alienus *indicare, denunciare*, significat. Tandem tertia explicatio est, quae mihi magis quam reliquae arridet. Illud *accusator erit, h. e. accusabit* (ut *Sat.* VIII, 216, "ultor patris"; XIV, 86, "aedificator erat"), dictum accipio de ipso illo benefico, qui obviam venientem et dicentem vel unum verbum "hic est", statim apud judicem accusabit: ergo tace. Hoc sensu *accusator* propria significatione positum est; supplendum autem pronomen *ejus*, quod saepe ante pronomen relativum intelligi debet. Cf. Gronov. *ad Liv.* XXIII, 15; Cort. *ad Sall. Catil.* XIII, 2. Neque raro noster poëta etiam duriore ellipsi

pronominis utitur. Vid. *Sat.* II, 3; VI, 413. Construc-
tio est Graecae similis: ἔσται κατίγορος, οὐδὲ λέξει, scil.
τούτου. Schaeff. ad *L. Bos. Ellips. Gr.* p. 364. Similiter
intellexisse videtur Völker., quum ita vertit: "kommt er
dir entgegen, so drücke den Finger auf die Lippe;
anklagen wird er den, der nur das Wort ausspricht:
Dieser ist es". Cf. quae habet Häckermann. in *N. Annal.*
Phil. et Paedag. p. 569.

168) *Inde irae et lacrimae.* Dictum in modum no-
ti proverbii apud Terent. *Andr.* I, 1, 99: "Hinc illae
lacrimae". Significatur eo tristis facti eventus, quem
aliquis non exspectasset. Juvenalis proverbium hoc sen-
tentiae suae accommodat copulando *iras* et *lacrimas*: *irae*
sunt potentis hominis in maledicuum, *lacrimae* scriptoris
nimia libertate usi.

169) *haec animo ante tubas.* Tres vulgo horum ver-
borum reperiuntur lectiones. Secundum Mancinellum et
Rigaltium antiquissimi libri habent: *haec, anime, ante tubas.*
Sed talis apostrophe probanda in Gallione apud Quint.
IX, 2, "Dura, anime, dura: heri fortior fuisti", nostro
loco minime conveniens est; neque aptius quis hoc *anime*
dictum accipiat pro *mi amice carissime*, ut Terent. *Andr.*
IV, 22; *Eun.* I, 2, 15; *Heaut.* II, 3, 23. Nam ita certe
non suo loco positum est; collocari enim debebat post

tecum: “Tecum ergo, anime, prius voluta haec ante tubas”. Inter recentiores sunt qui legendum contendant:

Tecum prius ergo voluta
Haec; animante tuba galeatum sero duelli
Poenitet.

Jure hoc improbavit Heinrichius, etsi non probem rationes ab eo allatas. “*Animare*, inquit, pro *incendere*, *incitare*, *stimulare* est senioris temporis”. At contrarium confirmare licet auctoritate scriptorum ejusdem fere aetatis, ex. gr. Hygini *Fab.* CXXVI, “eibo potuque animare quem”; Arnob. VI, *ante med.* p. 246, “formae animantes buccinarum tortus”. Cf. Macrob. *Saturn.* VII, 3; Claud. *Proserp.* III, 386. Evidem *animante tuba* probare non possum, quia significat idem quod proximum *galeatum*; unde nascitur pleonasmus, Juvenalis brevitati parum conveniens et frigidorem officiens sententiam: nam post dictum *animante tuba* istud *galeatum non modo abundat*, sed etiam languet. Optima lectio est: “voluta haec animo ante tubas”, h. e. ante concursum s. impetum; antequam opus aggrediare: cui pulcre oppositum est, quod sequitur:

Galeatum sero duelli poenitet. Quod tropice de satirarum scriptore dictum significat, ut loquar cum Horatio *Art.*

Poet. 390: “nescit vox missa reverti”. Metaphora non admodum dissimilis *Sat.* III, 320:

Satirarum ego, ni pudet illas,
Adjutor gelidos veniam *caligatus* in agros,
h. e. ut miles, instructus et paratus.

171) *Quorum Flaminia tegitur cinis.* Omnibus perensis, concludit poëta, se, quum non concessum sit vivos carpere, mortuorum certe vitia et probra reprehensurum. Cui tamen promisso non semper stetit, quum passim quoque vitia aequalium et viventium notet. Callide sepultos ad viam Flaminiam atque Latinam commemorat. Nemo enim non ignorabat, quod ex Suetonio et Martiale etiam nunc sat scimus, sepultos jacere ad illam Domitianum, ad hanc Paridem histrionem.



THESES.

I.

Justo rigidiores mihi videntur esse qui Juvenalem,
ut morum verecundiae nocentem, a scholis arcendum cen-
seant.

II.

Satirae I, vs. 55 non ad legem Domitiani *de probro-*
sis feminis, sed ad legem Papiam Poppaeam spectat.

III.

Non assentior iis qui ejusdem satirae versu 61 tecla
Neronem significari putant.

IV.

Ejusdem satirae vss. 85 et 86 mihi videntur non
esse Juvenalis.

V.

Sat. III,
Ibidem in vs. 57: "Ponendaque praemia" neque sunt,
ut Heineckius putat, *proponenda*, neque, ut Heinrichius,
relinquenda praemia, sed *deponenda*, np. in loco occulto,
unde proferre non audeas.

V I.

Ejusdem satirae vs. 98 particula *tamen* non mutanda est.

V II.

Sententia quam de Plauto tulit Horatius, *de Art. Poet.* 270 seqq. nimis fastidiosum judicem prodit.

V III.

Historia literaria Graecorum quasi in illustri monumento expressam ostendit ingenii humani progressionem.

I X.

Lysiae de Theramene judicium in *Orat.* in Eratosthenen § 68, non prodit animum odio liberum.

X.

In Sophocl. *Oed. Col.* vs. 306, pro $\kappa\epsilon\iota$ $\beta\rho\alpha\delta\eta\varsigma$ $\epsilon\bar{\nu}\delta\epsilon\iota$ legatur $\kappa\epsilon\iota$ $\beta\rho\alpha\delta\eta\varsigma$ $\epsilon\bar{\nu}\delta\epsilon\iota$.

X I.

Verum est judicium quod Sallustius, *Catil.* Cap. 38, de principibus istius temporis viris tulit: "Per illa tempora quicumque remp. agitavere, honestis nominibus, — bonum publicum simulantes, pro sua quisque potentia certabant".

XII.

In deliberatione de Catilinae sociis puniendis habita
in Senatu (Sallust. ibid. capp. 51 et 52), ut Catonis
sententia justior, ita Caesaris reipublicae utilior fuisse
mihi videtur.

XIII.

Fabulas de urbis Romae primordiis magna pro parte
non Latino sed Graeco e fonte fluxisse probabile est.

XIV.

Lege Publi Philonis aº. U. 414 et lege Maenii aº.
446, comitiis curiatis omnis auctoritas ademta.

XV.

Cientes ante Servium Tullium, alii fuisse videntur
atque ii, qui justa manumissione manumissi, postea hoc
nomine appellati sunt.

XVI.

Classicorum scriptorum lectio recte instituta religioni
et honestati nequaquam obest.

112

enigmo efficiens paces regalis ab ecclesiastice et
debet in (26 de lege 1990) hinc regis) mons et
etiam nullum sollicitum ab anno 1991 et postea statuta
etiam nullum sollicitum ab anno 1991 et postea statuta

113

etiam nullum sollicitum ab anno 1991 et postea
etiam nullum sollicitum ab anno 1991 et postea statuta

114

etiam nullum sollicitum ab anno 1991 et postea
etiam nullum sollicitum ab anno 1991 et postea statuta

115

etiam nullum sollicitum ab anno 1991 et postea
etiam nullum sollicitum ab anno 1991 et postea statuta

116

etiam nullum sollicitum ab anno 1991 et postea
etiam nullum sollicitum ab anno 1991 et postea statuta